RESPONSIO APOLOGETICA AD FABII HERCYNIANI, ALIÂS IACOBI KELLERI, IESUYTÆ...

Ludwig Camerarius



RESPONSIO APOLOGETICA

AD

FABII HERCYNIANI, aliàs IACOBI KELLERI, *Iesuytæ Monachiensis, Ataxem, siue Appendicem Cancellariæ Anhaltinæ,*

Omnibus Protestantibus Germaniæ, & vicinorum regnorum, ac prouinciarum, inprimis verò Principum, & aliorum Ordinum Imperij, olim Vnitorum, consiliarijs, & Secretarijs, lectu vtilissima.

Auctore

NICOLAO HARSTEINIO Sicambro.



ANNO cIↃ IↃ c xxvi.

Benevolo Lectori S.

AD *decantatissimam illam Cancellariam Anhaltinam ante biennium responsum fuit per scriptum Germanicum, sub titulo:* Bericht, vnd Antvvort: &c. *paulò post à studioso quodam, & docto adolescente styli exercendi gratia in latinum etiam sermonem conversum. Huic scripto, quanquam moderato, & leni, superiori anno à Compilatore Cancellariæ Anhaltinæ oppositum fuit examen quoddam, & scripto Germanico (cui titulum fecit:* Schutz der geheimer Anhaltischen Cantzley, oder deren dritter theil:) *aculeata illa quidem, & probrosa, magna etiam ex parte scurrilis, sed re ipsa jejuna, & elumbis. Quia verò Compilator, imbecillitatis suæ sibi conscius, stylo suo latino diffidens, versionis latinæ refutationem, in sese recipere ausus non fuit, partes suas demandavit, & veluti lampada tradidit cuidam Fabio Hercyniano, qui cornicum (quod ajunt) oculos configat. Iste confidens homo, & miles gloriosus, tum in Litura Cancellariæ Hispanicæ, tum in suo Aiace nomen Jurisconsulti sibi arrogat: sed revera Jesuitam esse ex propriis ipsius verbis demonstrari potest. Nam ita scribit infra cap. 13 pag. 268: Age, Talionis jus exequere, imple Spiritu Jesuitico librum tuum: quid scribes? nec hastas, nec bipennes, nec gladios, nec sclopos, nulla belli, nulla turbarum consilia: innoxius nobis calamus, innoxia vita: charta nostra non sanguinem, sed atramentum imbibit: manus nunquam ferrum tangit, nisi cum tangitur.*

Cui

Cui enim per has fatales Religionis lites vim intulimus? cui quid rapuimus? cui jus violavimus? &c. Hæc ille. Constat itaque ex his verbis hunc Fabium esse Jesuitam, imò constat nobis ex certissimis indicijs, & ex virorum fide dignissimorum testimonijs, hunc Fabium esse Jacobum Kellerum Jesuitam, Collegij Monachiensis regentem, nihilque huic homini insolens esse, ut veritatem, ita nomen suum pervertere & modò sub Aurimontii (à matre sua Goltbergera) modò sub Didaci Tamiæ, modò sub Fabii Hercyniani (à sylva Hercynia, sive Nigra, prope quam supra Basileam in oppido Seckingen natus est) nomine fallere, & his literis, I. C. quæ non Jurisconsultum, ut alias, sed Jacobum Cellarium denotant, lectori imponere. Equidem levissima conjectura ductus, Volradum de Plessen, tanquam Authorem Responsionis ad Cancellariam Anhaltinam, publicè infamare, latinè loquentem per prosopopœias sibi familiares, ineptissimas tamen, introducere, & multis contumelijs, ac probris afficere non veretur, nihil pensi habens, quàm parùm bonis moribus, & ipsi honestati publicæ conveniat, sub persona & occultato suo nomine, aliorum famam, & existimationem maledicendo lædere. Etsi autem Plessius in adolescentia bonis litteris operam dedit, tamen cum nec in juvenili, nec virili ætate sibi, aliis negotiis intento, laborandum esse judicaverit, ut per publica scripta inclaresceret, nullis persuasionibus adduci potuit ut jam, decurso vitæ propemodum spatio, in arenam, præsertim cum personato aliquo Iesuita, descenderet. Hoc autem

cùm

cùm quidam boni viri animadverterent, & hominem notæ probitatis & integritatis, contra calumnias & morsus Fabij indefensum relinquere, revera nihil aliud esse, quàm ipsam causam communem patrocinio destituere, & in publica rei Euangelicæ commoda peccare, considerarent: authores fuerunt mihi, ut ego has partes in me reciperem, simul etiam pollicentes fore, ut & ipsi me ope consilio juvarent, & unà cum ipso Plessio de iis, quæ me fugerent, aut de quibus dubitare mihi usu veniret, plenissimè edocerent. Hac itaque lege & spe provinciam istam suscepi, non dubitans, quamvis Fabius calami & linguæ volubilitate, ac splendida maledicentia admodùm excellat, tamen illum veritatis, cuius simplex oratio est, & rerum atque argumentorum pondere, & modestia ac moderatione longissimo intervallo à me superatum iri. Vale, lector, & judica.

Ad ingressum Fabij

IN

CANCELLARIAM

BAVARO-ANHALTINAM.



RIT sine dubio Fabium & ipsius tribules Responsio ad Cancellariam Anhaltinam, quantumvis studiosè hoc dissimulet, & illam in contemptum, atque odium adducere conetur, dum calamo virulentia tinctò scriptam esse asserere non dubitat. Qua autem modestia Author in respondendo utatur, & quàm diligenter a conviciis abstineat: quanta vice versa ex Compilatoris & Fabii scriptis immodestia, incivilitas & in maledicendo acerbitas, ac mordacitas eluceat, ejus rei lectores judices facimus. Quæ porro hoc loco de impietatis in patriam conceptæ crimine in invidiam Reformatæ religioni addictorum & aliorum Unitorum dicuntur, illa nec a Compilatore, nec a Fabio rite probata fuêrunt, nec probabuntur. Quis enim credat, Palatinum & alios crimen impietatis concepisse in patriam, pro cujus libertate tot, & tanta pericula, damna, incommoda sustinuêrunt, & sustinent? Nihil etiam moramur jactantiam hominis vani, gloriantis se cerussam mentientem, & fallentem fucum, diluturum, & totum codicem absumpturum, & deleturum. Hic Rhodus, hic saltus Fabi: videbimus, quam strenuum te præstiturus, aut potius, quàm te turpiter daturus sis. Plessium verò quam ineptè introducis Latinè loquentem, cum Responsionem ad Cancellariam Anhaltinam Germanicè scriptam, atque editam, & deinde ab adolescente studioso

exercitii

exercitii causa in Latinam linguam traductam fuisse constet? Quàm levi etiam, fallacique ex conjectura Plessium ejusdem Responsionis Authorem fingere, publicè ita appellare, & probris lacerare non vereris? Conjectura tua, & divinatio hæc est: Quia, ut tu ais, Cameratio ad omnia non vacat, negotiis, concursationibus, machinationibus, declamationibus, genuflexionibus, precibus, lachrymis, districto, ultimiq; exitii anxio. At, Fabi, illi, qui tibi talia referunt, aut scribunt, imponunt tibi. Cameratius nihil horum agit, quæ tu somnias: tum satis illi animi esse, & vacare ad calumnias vestras refellendas, Apologia, nuper tibi opposita, argumento est. Quæ de Epistolis Plessii subjicis, de illis infra videbimus: interim id, quod de perfida manu hic dicis, à mendaci tuo calamo proficisci affirmamus. Magnoperè præterea falleris, Fabi, dum suprà nominatos duos consiliarios solos Electori Palatino restare putas. Supersunt enim adhuc complures, experientia & erudione præstantes, & in dicendo, scribendoque, idque non una lingua, exercitati: præstò etiam sunt alii rerum Germanicarum simul, & Bohemicarum peritissimi. Certi omnes, & parati tela vestra excipere, & in vos retorquere. Vos, Fabi, hactenus modestiam Palatinorum pro metu, moderationem pro abjectione animi accepistis, sed erratis, & vehementer erratis. Experiemini enim re ipsa illos neminem ita metuere, ut justa, & ad honorem, causamque suam defendendam necessaria arma per minas, aut timorem sibi excuti patiantur. Dicis etiam, Plessium principem, nisi te omnis conjectura fallit, hoc bellum chartaceum movere: sed error tuus supra detectus fuit, & nulla ratione, nulloq; jure potes asserere bellū moveri à Palatinis, cum nemo non videat illos fuisse a vobis provocatos, & non inferre bellū, sed propulsare respondere, non lacessere. Sub finem ostendis, tibi ludum jocumque esse viros bonos nominatim publicè traducere, & nomen tuum dolosè occulere. sed non

auferre-

auferetis hoc multum, Bavari, si ita perrexeritis. Si vultis causam Principis vestri, & titulum, quo Electoratum Palatinum possidet, defendere, agite argumentis, & rationibus, non conviciis, dicite de rebus, parcite personis, ut vobis etiam, principique vestro parci possit. Sin minùs, nemini mirum videbitur, si ita vobis respondeatur, ut, si quam maledicendo voluptatem cepistis, eam malè audiendo amittatis. Ad hypopnemata, similia illis, quę in Litura tua hinc inde aspergis, in Apologia Domini Camerarii respondetur, uti etiam ad exprobrationem exilii, quod Palatinis superbè objectas. Sanè præsentem fortunam ab illis ęquiori, & tranquilliori animo ferri, quam à vobis, omnia tuta timentibus, Palatinatum teneri, si quis dubitat, legat Mysteria Politica, nuper à vobis & quidem à te, Iacobe Kellere (ut multorum fert opinio) edita, in quibus anxietas animi, & metus vos eò usque abripit, ut potentissimo Galliæ regi non obscure denuntietis forè, ut si ille Principes Germaniæ, veteres amicos, & confœderatos, hoc tempore ab Hispanis & à vobis oppressos, in libertatem pristinam vindicare conetur, vos procellam Cosaccorum Galliæ immittatis. Tales minæ, Iacobe, non nisi a stolido fastu, & ab animo anxio, ac præ metu non satis sibi constante, proficisci possunt,

In præfatione in Responsionem ad Cancellariam Bavaro-Anhaltinam Fabius sequentia carpit.

Primùm dicit Cancellariam Anhaltinam non venisse Heilbrunnam mense Ianuario 1621, sed mense demum Maio. Verum nos constanter affirmamus mense Ianuario prima exemplaria, pauca illa quidem, Heilbrunnam delata, in manus Principum Unitorum pervenisse, & ad testimonium Ducis Bipontini, Ducis Wittembergensis, Marchionis Ansbacensis, Marchionis Badensis, & reliquorum statuum

statuum Vnitorum, provocamus. Etsi autem hoc non est tanti momenti, ut in eo opes Græciæ sitæ sint, aut ut operæ pretium sit de eo hostiliter cum Fabio digladiari: tamen necessariò hoc loco attingendum fuit, ut fidem Authoris Responsionis liberemus apud lectores, ne fortassis in ipso limine illis imponere voluisse videri possit, quem morem libenter Fabio, tanquam ipsi proprium in quarto modo, relinquimus. Deinde ait in authore Cancellariæ etiam errari, & lectorem falli. Sed nonné vides, Fabi, in Responsione nihil certi de nomine Compilatoris affirmari, quamvis probabilia indicia non deessent, sed in medio rem relinqui? Et revera parum etiam nos de Compilatoris nomine laboramus, statuentes interim pro certo non esse viri boni invectivas in alios, ut tu facis, scribere nomine suo suppresso, sed ardelionis, & Sycophantæ. Porrò Cancellariam Anhaltinam Centonem appellari, & Compilatorem eius *consarcinatorem indigetari, non ægre solum fert, sed etiam pro convitio habet Fabius, delicatus hîc nimiùm, & parùm memor probrorum in Authorem Responsionis iactorum, quib. liber ipsius scatet. Ad quæstionem: scis quid cento sit? Respondetur, scire nos, à quibusdam confectos fuisse centones Virgilianos: & inde rectè inferri, centonem ex varijs, iisque optimis etiam rebus (quales sine dubio Virgilij versus sunt) fieri posse, & ritè ita nominari. Quid, quod nuper Virgilio-Cento, vitam, & miracula Benedicti complectens, Bambergæ apud A. Crinessum in 18 impressus, in lucem prodiit? Secundum te, Iacobe, ea quæ ibi de Benedicti vita, & miraculis narrantur, lewdensa, veteramenta, lacernę scruta, ad summam quisquiliæ (ut revera sunt,) vocanda erunt. Vnde apparet Fabium, dum perfectus Grammaticus videri vult, non immeritò ineptum hoc loco dici posse. Ducem Bavariæ aliquam operam Cancellarię contulisse primum subobscurè negat Fabius: deinde aliquo modo fateri videtur. Equidem ex hominum fide dignissimorum, qui in vicinia Ba-

variæ degunt, litteris ita intelleximus, sed tamen in Responsione in medio res relicta fuit, & a nobis etiamnum relinquitur. Quod verò occupationes bellicas Ducis Bavariæ Fabius tumidè allegat, vanum hoc totum & adulatorium est. Illæ enim tum temporis, cùm Cancellaria consueretur, nullæ omnino erant: Tillius cum exercitu Ligæ in Bohemia belli illius reliquias persequebatur: Princeps vester domi in hypocausto desidebat. Neque multum etiam refert, utrum Cancellaria Anhaltina Monachii, an verò alibi, vobis curantibus, in sermonem Italicum conversa, & impressa fuerit. Titulus sanè: Pensieri di Protestanti, id est Cogitationes Protestantium: non Reformatos solos, sed omnes Protestantes in genere, tangit: id quod a lectore notari petimus, quia Fabius cum consortibus illud negare interdum non veretur, uti etiam statim in vers. non omnibus, ait: Non omnibus Unitis à nobis dica scripta, sed Calvinistis &c. Verùm in cassum laboras, Fabi: Compilator, & Tehonestas Cogmandolus vester omnes in genere Unitos accusant: Tu in decursu huius tui libri sæpius idem facis: Cogmandolus etiam Senatores, Syndicos & Secretarios Urbium Unitarum proditores patriæ publice appellare non erubescit. Inopiam typi ex parte editionem Responsionis ad Cancellariam Anhaltinam retardasse verissimum est. fuere etiam alia impedimenta, quæ hic enumerare nihil attinet. Præterea ait Fabius Auctorem Responsionis ex centenis vix paucula delegisse, quæ oppugnaret. Sed nemo non videt Authorem magno cum iudicio certas materias ex prolixo, & rudi, indigestoque Centone excerpsisse, quæ medulla Cancellariæ Anhaltinę recte vocari possunt, & quibus refutatis, reliquum Corpus, veluti incisis nervis, corruere necesse est. Asserit etiam, Authorem ac reliquos Palatinos propriis testimoniis convictos teneri, sole ipso clarioribus: sed hoc constantissime ab illis negatur. Plessii, aliorumque ex Epistolis, & chartis descripsistis vos multa, Fabi, verum multa etiam omisistis, mul-

tis, multa truncatis, multa glossis vestris adulteratis, plurima in deteriorem partem, & in alienum sensum detorquetis, ad summam, cavillatores argutos agitis. Nunquam Plessius, nunquam alii Palatini negabunt manum, & epistolas suas, bona fide editas. veruntamen eatundem interpretationem etiam sibi permitti debere, nec ab æquis judicibus denegati posse existimant. De hac interpretatione inter illos & vos, Fabi, lis est. vos actorum partes sustinetis, illi reorum, qui favorabiliores sunt in jure Civili, &, actoribus non plene probantibus, absolvuntur. Sub finem acriter Fabius Auctorem Responsionis adoritur propter dissertationem de caussis motæ nuper Bohemiæ, quam tamen nec Plessius, nec Author unquam viderat, multo minus legerat ante, quam illam vna cum Responsione ad Cancellariam Anhaltinam Typographus suo quodam judicio, Authore Responsionis inconsulto, excudisset. Cur vero odiose Authori Responsionis, Fabi, verba, ex eadem Dissertatione excerpta, objectas? Quin potius ipsum Tomsonium tu tantus bellator ad duellum provocas? Sed vnum hic silentio prætereundum non est, nimirum te astute omisisse allegationem Tomsonii, ex locis Chemnitii, tit. de conjugio, petitam. Pudet, quantum arbitror, te Fabi, summum Lutheranorum Theologum, & Patriarcham Saxoniæ a vestris partibus non stare, sed potius Tomsonio Reformato, vei conjicio, astipulati. Falsissime igitur Tomsonium facis Authoris Informationis Achatem, hominem ne de nomine quidem ipsi notum. Denique de altera Informationis parte supprimenda fero mones, quia cum tu us hic Aiax ad nos perveniret, jam ante medium annum pars altera typis vulgata fuerat. Desideramus autem judicium tuum, Fabi, in titulo tui codicis. Aiacem enim Volradi Plessii, in spongiam incumbentem inscribendō, inepte alludis ad Aiacem Augusti Cæsaris, ab ipso Augusto spongia deletum ita ut Authorem Informationis suum ipsius scriptum itidem spongia delevisse ridicule præsupponas.

Caput Primum.

PETIT circa initium huius capitis Fabius ab Authore Informationis, ut Pontificiorum in pacem publicam peccata dinumeret. Sed non videt, aut callide dissimulat, hic non agi de pace publica, à Pontificiis re, & facto ipso turbata, sed de consiliis eorundem, & machinationibus, ad Protestantes in ordinem redigendos, & ad priscum sedis Romanæ cultum reducendos, tendentibus, de intentione, desiderio, & voluntate, quam inter cetera Author Informationis ostendit colligi posse, & probari ex libris Windeckii, & Scioppii, quos optimo iure allegat, cum vos segmina litterarum, & multa alia leviuscula, Fabi, & parum authentica passim ad convincendos Palatinos producatis. Verum hi duo, vt tu regeris Fabi, privata scripta edidere, Remp. nunquam attigere. Sed qua ratione, quæso, horum duorum scripta vocari possunt privata? Si materiam, & argumentum spectemus, agitur in illis de transactione Passaviensi, de pace religionis, de Protestantibus in angustias redigendis, & de aliis rebus non privatis, sed publicum totius Imperii statum concernentibus. Si formam, typis publicis excusa sunt, prostant, publice leguntur. Equidem si hæc scripta privata appellanda sunt, quo iure vos, Fabi, Palatinorum Epistolas familiares, & schedas publica scripta vocatis, & ut publica scripta allegatis? Nec ad rem facit, quod dicis Windeckium in Epilogo suo protestari se cum solis sectariorum Magistris, & Doctoribus contentionem suscepisse, non cum Principibus, & aliis Magistratibus Evangelicis. Hæc enim protestatio contraria est facto, vt J. C. loquuntur, & ideo nihil operatur, quia in toto libro Windeckius promiscue tam de Principum & reliquorum Magistratuum, quam de Theologorum, & Concionatorum Evangelicorum oppressione, & exterminatione agit; & nemo non intelligit Theologos & Ministros Protestantes non

nisi

nisi una cum principib. & reliquis Ordinib. Euangelicis opprimi, & exterminari posset. Quis porro sibi persuaderi patietur hos duos Rempublicam nunquam attigisse? Windeckius in Ecclesiastica dignitate constitutus, & non parvo in pretio fuit, nec consiliorum, quæ ad stabiliendum augendumque in Germania Pontificis Romani dominatum, & iurisdictionem pertinent, ignarus esse potuit. Scioppius vero consiliarii Austriaci, & regis Hispaniæ, nomine, ac titulo gaudet, & ante aliquot annos Internuntii munere apud Pontificem functus est, uti ex luculentissimo Cæsareæ Majestatis, tum temporis adhuc Gratij sedem Aulæ suæ habentis, testimonio, quod hic subjicere visum est, apparet. Ferdinandus Dei gratia Archidux Austriæ &c. omnibus, & singulis, in quorum manus hoc nostrum diploma pervenerit, cuiuscunq. ordinis, status, dignitatis, muneris ve fuerint, salutem, benevolentiam, gratiamque nostram, & omne bonum precantes, & deferentes, fidem facimus, notumque esse volumus, quòd is, qui has exhibebit, egregius vir, fidelis nobis dilectus, Gaspar Scioppius, Patritius Romanus, Eques S. Petri, S. C. Maiestatis, ac noster consiliarius, jam ab hinc non paucis annis primariorum S. R. E. Cardinalium litteris, & illustris Comitis Reimundi de Turre, & Valsassinæ, nostri intimi consiliarii, & aliquamdiu apud sedem Apostolicam Oratoris vivæ vocis testimonio, nō tantū ob præstantis ingenii dotes, editis compluribus libris satis contestatas, sed etiam ob alia virtutum, & integrioris vitæ ornamenta, maximè verò ob indefessum Catholicæ fidei, adversus Ecclesiæ hostes propugnandæ, & propagandæ studium, accuratissime nobis commendatus fuerit. Sed non minus ab iisdem certatim nobis prædicata fuit devotio, ac fides, quam in nostris, Augustæque domus nostræ Austriacæ negotiis, pro virili sua, ex usu, votoque nostro procurandis sua sponte semper præstitit, Itaque tantis eius laudibus, ac meritis permoti, ut cum propensam nostram erga ipsum voluntatem declararemus, tum

etiam occasionem plura, ac maiora deinceps nostra, & Reip. caussa præstandi ei suppeditaremus, eum in consiliarium nostrum recepimus, utque idem à S. C. Maiestate fieret, perfecimus. Neque vero, postquam Roma ad nos in Germaniam venit, conceptam nostram de se spem frustratus est, sed ita cumulate expectationi nostræ satisfecit, ut propter prudentiam, fidem, laborem, ac studium, quæ cum aliàs, tum anno superiore, Internuntii nostri apud summum Pontificem munere perfunctus, in conficiendis negotiis adhibuit, nostræ erga ipsum gratiæ non mediocris facta fuerit accessio. Cum itaque nunc in animo habeat ad tempus aliquod aliue concedere, ubi se maiorem, & utiliorem Ecclesiæ, Reip. & nobis operam navaturum magnopere in Deo confidit, hoc nostro eum Elogio prosequendum, cunctisq; etiam, atq; etiam commendandum duximus. Omnes proinde, ac singulos pro cuiuscunque dignitate, & loco amanter, benevole, & serio rogamus, monemus, hortamur, ut eundem, velut Nostrum hominem, multis nominibus nobis gratum & acceptum, non modo libere ubicunque locorum iter facere, sine ulla sarcinarum perscrutatione, aut ipsius, famulorumque molestia, permittant, sed itineris quoque securitatem, & ...... quæque adiumenta, ac subsidia nostri caussa prolixe ac benevole eidem præstent. Quod quidem nos minimè vulgaris officii loco ducemus, & quoties res feret, mutua benevolentia, gratiaque remunerabimur illi vero, qui nostra ditione tenentur, hoc modo facient, quod pro iure nostro severe illis imperamus. Datum in civitate nostra Gratii die 4 Novembris Anno 1610. Ferdinandus &c. Quid ais jam, Fabi? Visne pergere illudere lectori, quasi Scioppius nunquam Remp. attigerit? Talis vero, tantique viri, scripta Palatini non allegarent? Si privatis non movemini, si nihil ad Remp. uniusalteriusve sermo, ut tu dicis, cur igitur unius, alteriusve ex Palatinis epistolas familiares loco clarissimarum probationum in medium adducitis? Quomodo plus

mali

malis(vt paulò ante dixisti)unus, atque alter consiliarius Palatinus per epistolam aliquam familiarem vobis creare potuit, quam Scioppius Protestantibus per classicum illud ferale bellí facti, ipsi Cæsareæ Majestati dedicatum?

Pag. 5. Fabius per æquivocationem conatur lectorem circumvenite. Auctor Responsionis scribit hoc loco, in Comitiis Ratisbonensibus, quæ Anno 1594, & subsequentibus annis celebrata fuerunt, Iesuitas, & Capucinos concionatores in odium & perniciem Protestantium fuisse. In versione Latina interpres ponit, Iesuitas & Franciscanos concionatores esse, rectè quia etiam Capuccini sub Franciscanorum Regula, & Ordine comprehenduntur. Bonus noster Fabius, hunc ictum declinaturus, æquivocando responder, Anno 1594 Ratisbonæ nullum Capuccinum ad concionem dixisse, sed vafertimè reticet, an in aliquot subsequentibus Comitiis (quæ Author expresse incluserat) nemo etiam Capuccinorum ad concionem dixerit. Et quid refert, utrum Cordiger, an Recollectus, an Capuccinus, an Minimus (interquorum habitus, nomina, & regulas Protestantes non adeo exactè distinguere norunt) pro concione & ex suggestu talia protulerit? Vnde liquet impudenter Fabium agere eum Authore, dum ait eum in exordio libri fingere, quæ scribat. Verum Author ad multorum consiliariorum, secretariorum, & aliorum, qui adhuc superstites, & Protestantibus Ordinibus à consiliis, & secretis sunt, quique Comitiis Anni 1594, & sequentium interfuerunt, testimonium publicè, & solenniter provocat. Iidem testari possunt, Iesuitas & Monachos (quorum nonnulli Itali erant, & Italice concionabantur, & quorum concionibus tamen nullus ex Principibus Protestantibus intererat, quia hoc præter decorum, nec ipsorum dignitati consentaneum fuisset) non in Reformatos solos, quorum paucissimi inter auditores erant sed in genere in Hæreticos, sæpissime etiam nominatim in Lutheros, & Lutheranos (quorum magnus aderat numerus) acerrime

certime invectos fuisse: ita vt appareat te, Fabi, fingere, quæ hic de Calvinistis dicis quasi solos illos Iesuitę & Monachi petierint, quia aliter te elabi nō posse vides Subiungis, Fabi, Anno 1594 & in sequētibus Comitiis Ratisbonensibus multa querimoniarum folia a Calvinistis Cæsari obtrusa (ita per cōtemptum loqueris) fuisse, sed mala omnino fide. Nam constat non à paucis Calvinistis, sed à toto pene Protestantium Corpore (Saxone Weimariensi & uno atque altero præter eos excepto) gravamina Cæsari Rodolpho, exhibita fuisse. Mentionem Donawerdiæ injici ab auctore ægre fers, Fabi, & conaris eludere argumentum ab eodem adductum, dum dictitas lepidum esse illud, quod Iesuitarum, ac Cappuccinorum sermone Donawerda subacta est. Cavillari hoc est, non respondere. Executionem contra Donawerdā paulo post insecutam, Iesuitarū ac Monachorum conciones cōprobasse ait Author informationis: nullum verbum ibi de Donawerda, Iesuitarum, & Capuccinorum sermone subacta, vt tu pro consueta tua futilitate fingis. De injustitia eiusdem executionis extant tractatus, & libri integri Iurisconsultorum Protestantium, & hic de ea prolixe agere supervacaneum est Pag 8 Fabius agit de duplici Comitis Zollerani relatione, fictam ab Authore Responsionis fuisse asserens: sed ille ad Unitos Ordines & eorum Consiliarios, quorum complures utramque relationem viderunt, & legerunt, appellat, ac horum testimonium Fabii calumniæ opponit Et frustra sane Fabius Authorem conatur contradictionis arguere, dum ait, si relatio emanavit, quomodo arcana fuit? Arcana enim appellatur partim respectu alterius, quæ studiose sparsa fuit; partim destinatione Comitis, qui secretam mansuram esse putabat. Quam sæpe autem, & quibus artibus huiusmodi arcana per domesticos, & ipsos cubicularios Rodolphi Cæsaris emanaverint, in recenti adhuc hominum est memoria Et pag. Fabius Authorem responsionis impudentiæ, & vanitatis: pag 13 etiam falsi insimulat.

Sed

Sed apparet hunc hominem ardore maledicendi transversum agi & pene excæcari. Nam post verba, quæ Fabius pag 12, & 13 ex libro sexto Sleidani allegat, immediate hæc sequuntur. Rebus ad hunc modum pacatis, ut dictum est, Suevici confœderati (de quibus ante nō semel dictum est) Langravium incusabant, quod socius vim, & injuriam fecisset; cumque novus ex eo motus impenderet, sedata demum res Wormatiæ fuit sub exitum Decembris interventu Palatini Principis. Sunt qui putant non fuisse nihil, quod ille de confœderatione dixerat, eamque suspicionem augebat ille, qui quatuor annis ante fuerat Ratisbonæ, Principum aliquot conventus, vt libro quarto diximus. Itaque conceptum quidem aliquid eius generis, non autem ad finem deductum, neque plane decretum fuisse putarim, quod tamen nolim pro vero ponere, ac suum cuique judicium permitto. &c. En, Fabi, verba ab Authore Responsionis allegata, quæ tu in Sleidano extare temere, & impudenter negas, publico te Iudibrio, & risui exponens, dum Iurisconsulti nomen tibi arrogas, & interim nescis, quod omnibus Iuris tyronibus notissimum est, incivile esse, nisi tota lege perspecta, iudicare. Pari vanitate Authorem Responsionis allatras, criminando ipsum Packio patrocinari, & maiorem fidem, quam reis Principibus, adhibere. Auctor enim verba Sleidani tantum refert, de suo nihil addit & ad quæstionem tuam, ubi sint apud Sleidanum illæ meditati Martis circumstantiæ, Packii delationem non fuisse de nihilo arguentes, ? responderi facile, & verissime potest, nimirum Auctorem non dicere, circumstantias illas a Sleidano descriptas fuisse, vt tu, nugator, garris; sed ab Othone Packio, idque per exhibitionem formulæ fœderis, cuius Sleidanus mentionem facit, & quæ apud Hortlederum in libris de causis belli Schmalcaldici integra legi potest. Pudeat ergo te, Fabi, qui ex lege rationis aperti falsi hic merito condemnaris. De Cardinali Truchsesio, & Norimbergensibus obnuntiare Author supervacane-

um esse duxit. Cardinalis contra sermones in Germania de se sparsos publicum scriptum evulgavit. Norimbergenses, à Marchione Alberto fidei, & pactorum violatorum accusati, Apologiam typis excudendum curarunt. Verumque scriptum apud Sleidanum lib. 25, & 26 invenitur, ex cuius lectione facile deprehenditur nihil inde solidi contra hunc locum Responsionis ad Cancellariam Anhaltinam inferri posse. Pag. 16 satis impudenter Fabius negat crimini datos fuisse Unioue congestos pecuniarum acervos, cum tamen Compilator C. A. pag. 18 §. *Man kan aber &c.* Unionem, & Capita illius statim ab Anno 1608 (initio nempe Unionis) machinari cótra Pontificios cœpisse expresse scribat, & probationis loco adducat contributiones, Ahusi statim post stabilitam Unionem Anno 1609. & aliquot sequentibus, collatas. Succenseris igitur, Fabi, Unitis propter contributiones, tanquam indicis technatum, & molitionum, ut vos criminamini, contra Romanéses, id quod tu fuco oblinere jam, & dissimulare conaris, quia vides vos vestro veluti gladio jugulari per ea, quæ in Informatione de contributionibus, & cutis vestris argentatis narrantur. Nam quæ tu de pecunia ob malum finem ab Unitis profusa, item de mente Unitorū, & de cōsilio vos vestris exuēdi obgānis, illa sunt in quęstione, & a vobis nondū probata tu illa præsupponis, nos negamus. Ais Compilatorem Cancellariæ Anhaltinę referre, nos ærarium complesse ad id prosequendum, quod nobis deliberatum erat, nempe, sociatis externi Principis opibus, Alsatiam invadere, Oceano Adriaticum mare immittere, aditus Italię milite aperire, & 15 millibus rerum initia facere Sed quot annos duravere contributiones Unionis, Fabi, antequam de superioribus omnibus aliquid in mentem cuiquam Unitorum venire posset? Decem anni ab initio Unionis intercesserunt usque ad communicationem cum extero Principe (quanta falso Plessio attribuis) institutam, quam tanto temporis intervallo ab Unitis prævideri potuisse stulte à te præsuppo-

supponitur. Cæterum quæ de Alsatia invadenda, & in Palatini potestatem redigenda, de Oceano cum mari Adriatico conjungendo, & de Italiæ aditibus narras, ad illa magna ex parte responderi videmus in Responsione ad Can. A par. 2. cap. 10. nu. 7. Et revera meræ speculationes, atque Ideæ fuerunt; hinc Allobroge, illinc aliis varia, Palatino ipso inscio, proponentibus. nullum pactum, nulla conventio, multo minus fœdus ullum intercessit: omnia discursuum, & familiarium sermonum fine steterunt: nihil ad conclusionem deductum, nihil decretum fuit, ut ex ipsa Cancellaria Anhaltina lector candidus facile, nemine etiam monente, deprehendere poterit. Nec est, quod glorieris, Fabi, Ligistas in fœdere iciendo neminem unum ex Unitis, quem peterent, delegisse. Nam formula Unionis indefinite etiam concepta, nec quisquam, qui peteretur, delectus fuit. Pag 20 vix dissimulare potest Fabius se irasci Authori Informationis ob honorificam Sabaudi mentionem. Causæ ad eum recurrendi justissimæ in informatione legi possunt. ad has Fabius nihil responder, tantum more suo præsupponit Unitos voluisse bellum civile suscitare, imo ipsi Imperatori bellum inferre; quod illi constanter negant, & semper negabunt. Accipimus vero id, quod das, Fabi: Necessitatem nempe jus facere, ne quis suum amittat, potentiores dexteras prehendere. Illud autem, quod subjicis, nunquam probabis, nimirum ad capitalem Christi hostem concursum, ut adnitentibus Christianis auxilio Turcarum Christiani Imperio pellerentur: numquam, inquam, ex actis Anhaltinis probabis regem Fridericum una cum Ordinibus Bohemiæ, & Incorporararum Provinciarum auxilium Sultani Turcarum contra Imperium, & Imperii ordines implorasse. Jura amicitiæ, vicinitatis, commerciorum, & pacis, exemplo aliorum regum, & Principum Christianorum, petierunt, & ad eadem colenda sese obtulerunt: auxiliorum contra Imperatorem, & Imperium nulla facta fuit mentio. Quod si Princeps Transyl-

vaniæ proximis annis superioribus forte numerum aliquem militum Turcicorũ, ex proximis præsidiis à Bassis vicinis ipsi subministratorum in exercitu suo, habuit, hac de re, Fabi, eum ipso, si videtur, expostulare potens. Quæris deinde, & magnopere scire hoc loco desideras, quid causæ fuerit tetenti in Germania militis Sabaudiani? Equidem fateor, Fabi, nobis non licuisse in arcanas sagacissimi Principis, & cautissimi bellatoris cogitationes penetrare: sed nobis non parum probabilis videtur conjectura Authoris responsionis, qui innuit illum recenti paci & Petro Toletano vicino suspecto, & copias suas retinenti non nimium fidere voluisse. Retenti autem ipsius jussu à Mansfeldio fuerunt tantum præcipui ductores, & officiales, quos vocant, una cum nonnullis militibus veteranis, quorum opera postea Mansfeldio facile fuit brevi temporis spatio integram legionem conscribere, &, petentibus Bohemis, eique supremam Tormentorum præfecturam conferentibus, in Bohemiam ducere, id quod notandum est lectori, ne in errorem pertrahatur à Fabio, qui asserit (sed falso) Mansfeldianum militem Palatino præsto fuisse in quoscunque usus, cum tamen constet Mansfeldium demum rogatu Bohemorum legionem conscribere cœpisse, & conscriptam in Bohemiam sine mora duxisse. Eadem fide Fabius dicit Bohemos Palatina arte tumultuatos, & senatores regios sublimibus è fenestris dejectos fuisse. Omnia enim hæc, inscio, & nec opinante Palatino, contigerunt. De exauctoratione regis, & reliquis, quæ Bohemiæ Ordines concernunt, in deductione Bohemica prolixe agitur: eo Fabium remittimus. Non est etiam verum, tum temporis auxilium proximum fuisse Palatini militem, alieno nomine fallentem. Nam sub ortum tumultus Pragensis Mansfeldius nullum adhuc militem habebat præter paucos illos, quos jussu Sabaudi retentos fuisse supra diximus. Pag. 23 motus Pragensis auctores Fabius pro more facit Calvinistas, eum tamen in aperto sit Lutheranorum ibi ferè solas, aut præcipuas saltem

partes

partes fuisse. Cives Clostergrabii, & Brunavii erant Lutherani: cur illi sumptus fecissent in extructionem novorum templorum, si ipsis templa non defuissent? Non deerant templa Calvinistis, ut tu ais Fabi, qui nulli ibi erant, sed deerant Lutheranis, quos ne offendas, dolo malo culpam in Reformatos confers. Porro quis unquam credet Mansfeldium injussu Sabaudi, a quo ipse, & miles ipsius stipendium habebant, & à quo paulo ante Mansfeldius feuda amplissima in Pedemontio dono acceperat, legionem conscribere, & in Bohemiam ducere ausum fuisse? Erras deinde etiam, Fabi, alium errorem, & fallis lectorem affirmando pag. 24. Palatinum copias in Bohemiam immisisse, ut primus Remp. turbaret. Sabaudi erant copiæ hæ, Fabi, ut demonstravimus, non Palatini: nec per militem Mansfeldianum Bohemia turbata fuit, quæ jam mota erat. Quæris præterea, Fabi, quid Palatino, quid ceteris ex Unione Proceribus cum Bohemia? Ecce, Fabi, hic non Palatinum solum, sed reliquos etiam Unionis Proceres accusas: & aliis in locis tuque, Compilatorque tuus protestari soletis vos Calvinistis solis, non reliquis Unitis, dicam scribere. Sed liceat etiam nobis quærere ex te, Fabi, quid duci Bavariæ, quid Episcopo Herbipolitano, ante biennium Ratisbonæ mortuo, cum Pilsnensibus? Si his duobus licuit civitati Pilsnensi contra Ordines Bohemiæ auxilia subministrando in motus Bohemicos sese ingerere, quis Unitis vitio verteret, si ipsi etiam Bohemorum vicinorum (quos pro libero populo merito habebant,) & eandem cum ipsis religionem amplectentium antiquæ libertati favissent? Num obscurum est, quid religionis, quid libertatis amor in hominum animis possit? Eodem loco innuis, Fabi, Bohemos debuisse jure, & legibus agere contra Regni officiales: sed hanc objectionem diluit Auctor dissertationis de causis nuper motæ Bohemiæ pag. 24, & seq. Longam deinde instituit Fabius declamationem contra Electorem Palatinum, & vult illum astringere ad reddendam rationem eo-

tum, quæ ante ejus adventum in Bohemiam, ipso inscio, acciderunt. Verum hic non est locus declamationibus: ad argumenta respondendum est. Ad quæstionem Fabii pag 26: Quosnam hostes habuerint Bohemi, cum Mansfeldius ipsis militem adduceret? Respondetur, illos, qui in finibus Moraviæ, & Bohemiæ confluebant, & paulo post Dampierio, & Bucoyo ducibus, in Bohemiam irruperunt. Pag 27. & 28. multa querit Fabius, ad quæ in scripto Apologetico Bohemorum respondetur: quod Fabius fortassis nunquam legit, tãtũ abest, ut mediũ refutaverit. De Cæsare Matthia, quod nõ malè fecisset sese inter Ordines Bohemię, & Vicarios suos gerendo, & judicis potius personam & officium assumendo, quam alteri parti sese aperte adjungendo, non interponit suum judicium Author Informationis, ut tu cavillaris, Fabi, sed dicit expresse multos viros intelligentes, & expertos (ita sonant verba Germanica) in hac opinione fuisse, ita ut hac in parte tu illorum sententiam oppugnes, dum Authori contradicere te opinatis. Nec sequitur Cæsari statim Pragam necessario properandum fuisse. Nam alia agendi, & spinosum hoc negotium tractãdi via, & ratio non ita difficulter inveniri, & tractu aliquo temporis consiliis de abdicatione, & nova electione, ad quę Bohemi propter perpetuas, gravissimasque comminationes ab Aula, & ex justo metu tandem descenderunt, occurri potuisset. Pag 30 adducit quædam alia contra Bohemos, ad quæ in eorundem deductione respondetur; nec Authoris scopus est hoc loco totius causæ Bohemicę defensionem instituere, sed tantum consilia, atque actiones Unitorum à calumniis tueri. Quod verò ad Baronem Kainium attinet, nullam ipsi Author dicam scribit, communem de eo Bohemorum opinionem, & suspicionem ex publica fama refert. Quasi vero Baro Kainius nulla alia mandata, nullum alium scopum habere potuerit, quam eum, de quo scholastice Fabius potius, quam politice differit, ipse per imprudentiam non obscure innuens Kainium ad ferenda dis-

dia

fidia (quæ laudabilem discordiam vocat) venisse. Pagina 33, & pag. 34. totę & ipsæ Bohemos concernunt, ac Fabius, semper sui similis, a Calvinistis armissos Francofurtum legatos; & hos legatos fuisse Calvinistas. quorum utrumque falsissimum est. Nam legati a toto Corpore regni, & præcipuè à Lutheranis, reliquos omnes numero, authoritate, & potentia longe superantibus, mittebãtur; & ãbo legati Lutherani erant Declama, Jacobe, ad ravim usq;, si libet nunquã demonstrabis recte, & ordine, ac libertati, & consuetudini Imperii cõvenientér audientiã Legatis Ordinũ Bohemiæ denegatam fuisse. Audiri illos æquum erat; audiri sine cujusquam fraude poterant. gratificari ipsis, aut non gratificari, in Electorum arbitrio erat. Ipsa rejectio, ipsa omnis aditus, & audientię denegatio pro summa injuria, & contemptu accepta fuit, & animos Bohemorum plane ab Electoribus abalienavit. Tu, Jacobe, passim Bohemos Imperii legibus obnoxios facis. Quid autem ab Electoribus Imperii sibi polliceri poterant Bohemi, qui viderent legatos suos contra jus gentium, & notissimum Imperii morem ab illis (quod tamen Ecclesiasticis solis verè in effectu imputari potest) inauditos rejectos fuisse? Pag. 37. denuo Authorem interrogat de iis, quæ Directores Bohemię concernunt, & de quibus ille respondere non tenetur Deinde subjungit Copias ab Vnitis conscriptas fuisse sine ulla causa, & ita aperte Vnitos universos partim imprudentiæ, partim temeritatis, ac protervię insimulat. Quantum ad pacem, à Spinola Moguntiæ initam, attinet, non est, Fabi, quod nobis fucum facere coneris. Luce meridiana clarius est Spinolam metu virium Hollandicarum in Belgium revocatum fuisse. Fecit ille pacem cum Vnitis nomine, sed revera injecit illis compedes, & bonos Principes, bona, ac antiqua Germanica fide secum agi, & se jam in portu navigare putantes, sub Tillii fascibus, & imperio reliquit, miseros veço civitatum Rhenensium cives Leopoldianis exedendos, & deglubendos propinavit. De irruptione, quam Fabius vocat,

in

in Alsatiam, cramben sæpius coctam iterum reponit pag. 38. & omnes Unionis Principes (in his Philippum Ludovicum Neoburgicum, patrem Wolfgangi Wilhelmi) hac in parte taxat, parum memor se alibi solis Reformatis omnem culpam imputare: tam egregie sibi constat. Porro expeditio, de communi omnium Principum Unionis consilio in inferiorem Alsatiam suscepta, non tam hostilis incursio fuit, vt vocari potest, animo incolas illius ditionis expilandi suscepta, quam diversio, notum belli peritis stratagema. Nam Scopus, & finis hic Unitis propositus erat ut copiis, quæ in Episcopatu Argentinensi cogebantur, impedimentum obiiceretur, ne in Ducatum Iuliacensem Archiduci Leopoldo subsidio ire possent. Salse eadem pagina Fabius Unionis Principibus degenerem metum exprobrat, & hunc pacem cum Bavaro ipsis suasisse dicit, nec excipit Lutheranos, sed omnibus Unitis promiscue hanc notam inurit. Pag. 39. concedit Fabius licuisse Electori Palatino cum Allobroge in eventum de Corona imperii conferre, & ita contradicit Compilatori; & Cogmandolo, commilitonibus suis. Nam compilator in Cancellaria Anhaltina non uno in loco dicit cum Sabaudo de successione Imperii, salvis eiusdem legibus, agi non potuisse, & hoc nihil aliud esse, quam vivo Cæsari Coronam ex Capite abripere velle: Et Cogmandolus in secretis secretorum diserte asseverat, vivo Cæsare de successione agere esse crimen læsæ Majestatis. Et sane nonnulli ex ipsis Unitis, & aliis Protestantibus, cum Cancellariam Anhaltinam legissent, in eundem fere errorem cum Compilatore abrepti fuerunt, ut existimarent per communicationem cum Sabaudiæ Duce hac in parte aliquo modo peccatum fuisse. Sed errorem hunc detexit Author responsionis, ita quidem, vt iam ipse Fabius fateri cogatur licuisse talem communicationem instituere, eo ipso, & hac sua confessione Electorem Palatinum publice exonerans, & eo crimine liberans, cuius in Cancellaria Anhaltina fuerat

fuerat falso accusatus. Eodem loco Fabius ait, Electorem Palatinum ad Imperialem Coronam aspirasse: id quod eadem facilitate negatur, qua asseritur. Quid tu porro, Fabi, de Panegyrico Allobrogi dicto, blateras? Apparet clam vos invidere magno Principi, quem aperte offendere non audens. Compilator solis Calvinistis, per quos præcipue Palatinos intelligit, in sua Cancellaria Anhaltina omnium motuum, & malorum causam, & culpam imputat; innuens Allobrogem, & alios, alioquin præsenti rerum statu satis contentos, ab iisdem etiam concitatos fuisse. Compilatorem falsi convicturus Responsionis Author non potuit non narrare, quomodo Sabaudus esset erga Hispanos, & Austriacos justis de causis affectus. hoc dum facit breviter, Fabius illum Panegyricum dixisse comminiscitur, ex mero livore erga generosissimum Principem, & malevolentia, quam dissimulare vult, sed non potest. De volumine nuper Heidelbergæ reperto etiam Camerarius in sua Apologia tecum egit, Fabi & imposturam vestram detexit. Veritatis indagandæ brevissima, & compendiotia via hæc est, ut volumen à vobis inventum Deputatis Ducis Wirtembergici, Marchionis Ansbacensis, senatus Norimbergensis, Ulmensis, & aliorum Unitorum in vicinia exhibeatur, & ab illis inspiciatur, vel examinetur. & iidem Deputati ex vobis quærant, quo pacto in manus vestras pervenerit, & quomodo hoc a vobis probetur. Hac enim ratione facillime, & manifestissime dijudicari ab iisdem Deputatis poterit, an volumen à vobis repertum, recte & vere Protocollum Heidelbergense in scriptis vestris publicis appelletur. Nisi æquissimam hanc conditionem recipiatis, vos de falso suspectos esse hic, publice & solenniter testificamur. Quid, vanissime homo, absque nutu Calvinistarū Cæsari fas non esse sponsam suo arbitratu deligere, otiose per calumniam Authori exprobras? Nunquam ille hoc dixit: Sabaudum offensum fuisse ait, quod negari non potest. Auctori nihil imputare potes, Fabi, nisi quod verum

dixit. Pag. 41 Fabius exaggerat imprudentiam consiliariorum Palatinatus, qui alieni regni prædã suaserint sed peccat more suo per petitionem Principii. Habebant enim, & habent Palatini, multique alii regnum Bohemiæ non pro alieno, sed pro proprio Bohemorum, & cuius dandi adimendique facultas a liberis Ordinum suffragiis dependeret. Succubuerunt Bohemi in conflictu, non in judicio legitimo, & coram Iudice Competente: armis acquisita armis rursus amitti possunt. De Alfaria iterum mentionem injicit, sed de ea supra diximus, & colloquia, cum S. meros discursus, nihil conclusum fuisse ostendimus. Plane autem frigidum est, quod de occupanda parte Helvetiæ, & de Colonia Constantinopolim ducenda dicit. Bernates & alii Helvetii, per quorum ditionem Allobrogi in eventum, & ex hypothesi transeundum fuisset (Quinque pagicorum enim Hispanisantium territoria attingere necesse non habuisset) Sabaudo non diffidebant: Et quid huic cum Constantinopoli? Pacta inter Galliæ regem, & Mauritium Saxoniæ Ducem levi admodum brachio tangit, quia exemplum hoc, tanquam ulcus, reformidat. Frustra porro laborat in defendendo Compilatore, qui in Cancellaria sua scripsit, Palatinum & alios nonnullos multa reliquos Unitos celasse. Interrogentur hodie Civitates Imperiales, interrogetur Wirtembergensis Dux, interrogentur alii, num Elector Palatinus toto sui Directorii tempore aliquid reliquos Unitos ita celaverit, ut in leges Unionis peccasse dici possit? Sed quid tu, Iacobe, sub finem capitis de adulteriis effutis? Putas nimirum te sub ficto Fabii H nomine alienam existimationem impune posse lædere, & viro bono, tibi vix de nomine noto, qui magno locorum intervallo à te remotus ætatem egit, & qui ab Ecclesia, in cujus conspectu totos triginta annos in casto, ac concordi conjugio sine ulla etiam minima hujusmodi criminis suspicione vixit, famæ integrę, & vitæ inculpatæ testimonium habet, labem aspergere: Putas, inquam, Iacobe, tibi

sub

sub persona hoc impune licere? Nam alioquin quomodo ausus fuisses eo protervIæ, & petulantiæ progredi, ut rem, quæ per se difficillimæ est probationis, comminisci, & sine ulla probabilitate, & verisimilitudine scripto publico veluti perfunctorie inserere non erubesceres? Quomodo, inquam, hoc alioquin ausus fuisses, qui tibi conscius sis Iesuitas, quamvis fibulam gestent, Hippolytos non esse. qui conscius item tibi sis, spurcissimarum libidinum, quæ in Collegiis, & Seminariis, id est, lustris vestris, & in reliquorum Monachorum, & Monacharum contuberniis exercentur, & propter quas cis & trans Alpes pessime auditis? Si nobis liberet. Iacobe, tuo exemplo frenos maledicentiæ laxare, quid obstat, quo minus nos vel Cancellarium vestrum, vel Compilatorem, vel alium aliquem ex aulicis vestris ejusdem, aut majoris etiam criminis longe, sine dubio verius, nominatim insimulemus? Nec difficile fortasse foret, si paululum allaboraremus, probationes conquirere, & in medium adferre & faciemus profecto, Iacobe, si tu crabrones irritare, & linguæ tuæ protervIæ indulgere perrexeris. Nemo perinde queritur, inquis. Quis, Jacobe, quereretur de re, quæ in tuo solius cerebro nata non nisi in tua imaginatione consistit, nec unquã, nisi ex impurissimo tuo ore, audita fuit? Habebis de quo jure queraris, si in Palatinatũ profectus in sacrificulorũ, & sacerdotum, quos miseris illis populis obtrusistis, vitã & mores serio inquisiveris. Comperies enim, Heidelbergæ sacerdores vestros inter alia in templis teneras puellas inter catechisandum obscœnis, & vix in Lupanari aliquo pronuntiandis verbis, alloqui & Wicelochii quosdam ex vestris, jam jam suggestum conscensuros & (horresco referens) verbum divinum annunciaturos, Veneri, ut ipsi impudentissimè simul, & prophanissime gloriantur, excitandorum spirituum ergo operari. Talia vero, aut etiam fœdiora ab aliis quoque de grege vestro porcis, & admissariis, in Palatinatu patrari quis dubitet? Hæc tibi reponenda fuerunt, Iacobe, loco

amuleri contra fœtidam & virulentam hanc tuam calumniā. Inviti sane hoc fecimus, & linguæ tuæ petulantia lacessiti: tu per imprudentiam canem dormientem magno tuo malo excitasti.

Caput Secundum.

NOn audet Fabius negare in formula Vnionis expresse Cæsarem excipi, sed, ut aliquid dicere videatur, ait, Calvinistis litteras scribentibus non credi, perinde ac si omnes Vniti Reformati essent, aut fuissent. Preterea absurdissimū est, vos, Jacobe, litteras, & scripta nostra contra nos allegare, & per illa nos convincere velle: Contra vero, quando nos litteras, & scripta nostra pro defensione nostra allegamus, vos dicere iisdem non esse credendum. Quid magis rationi, & æquitati repugnare potest? Affert postea Fabius distinctionem inter ea, quæ quis professus &, est inter ea, quæ confessus. In professione ait omitti pro arbitratu aliquid posse, ad fallendum in confessione non item. Sed abi hinc in malam rem, Fabi, cum ista tua distinctione, & mentali reservatione ad fallendum: nos illam officio boni viri parum consentaneam, & tibi, aliisque Iesuitis relinquendam esse censemus. Porro Vnio nulla Bohemis auxilia misit, quod tu tamen asserere non dubitas: nulla etiam Elector Palatinus ante Electionem ipsius. Mansfeldius à Bohemis ad Præfecti tormentorum generalis munus vocatus, cum milite pecunia Sabaudica coacto in Bohemiam se contulit. Perperam vero, Fabi, Bohemos hostes Matthiæ voca, siquidem quibus non tam cum rege suo, quam cum adversatiis suis, quos pro patriæ hostibus habebant, res esset, nec de offendendo rege, sed de religionis, & libertatis suæ defensione eos cogitasse, Tomsonius in sua dissertatione prolixe demonstrat. Non negamus in colloquiis cum Sabaudo Coronæ Bohemicæ mentionem factam fuisse, sed non nisi ratione futuræ Electionis, si quando rex Matthias è vivis excederet. Neque enim vel Palatinus, vel Sabaudus de iure Ordinum Bohemiæ priorem Electionem

(si for-

si forte suspiciones, simultates, ac diffidentia inter ipsos, ac regem Electum in apertum odium erumperent) abolendi, & novam instituendi, dubitabat. Vnde apparet falsum esse, & absurdum, quod tu dicis, actum fuisse de hereditate aliena ferro vindicanda, vel defuncti opibus huic vel illi pro libitu asserendis. Homines politici facile intelligunt, Palatinum & Sabaudum ad liberam Ordinum Bohemiæ Electionem respexisse. Qua in parte notandum est, te, Iacobe, non solum Austriacis, sed etiam tibi ipsi contradicere. Ais enim regnum, Bohemiæ mortuo Cæsare Matthia, Ferdinandi fuisse quippe promissum, & Ordinum sacramento consignatum. Ergo si Bohemia illius erat ex promissione, id est, ex electione Ordinum, non erat illius ex iure hereditatis: id, quod tu tamen infra Capite sexto probare conaris. Quæris: si unum in annum, alterumque produxissent fata Cæsaris vitam, an tanto tempore otiosus miles exspectasset? Respondemus. Bohemi, in utrumque parati, vel sua defendissent contra aggressores, non lacessiti finibus regni non egressi essent: vel æquas, & tutas reconciliationis, & pacificationes conditiones, ab Austriacis oblatas non rejecissent. Sed nos vicissim quæremus. An miles, qui ex Stiria, Hungaria, & aliis locis evocatus in finibus Moraviæ, & Austriæ confluebat, tanto tempore otiosus exspectasset? De expeditione vero contra regem Matthiam in Bohemiam suscipienda, nullum omnino verbum in illa cum Sabaudo communicatione prolatum fuisse, & te, Fabi, sensum huius loci assecutum non esse, ex ipso contextu Cancellariæ vestræ demonstrari potest. Quod attinet ad Volradi de Plessen Epistolam, in qua scripsit Bohemorum, Vnitorum, & Protestantium Belgarum prætensiones uno eodemque fundamento niti, negatur Fabi, eadem esse; Uno fundamento niti, & eadem in consiliis spectare, non sunt, inquam, hæc eadem non magis quam ædificia, quæ iisdem fundamentis superstruuntur, etiam eadem, quo ad materiam & formam, esse necesse est. Præten-

tensiones horum eodem fundamento niti, Plessius in Epistola familiari scripsit; quid tum postea? Quid prætendebant Bohemi? nempe conservationem litterarum Majestatis, quas ipsorum adversarii per cuniculos, & veluti caudam equinam paullatim vellendo, enervare studebant. Prætendebant præterea conservationem libertatis, & privilegiorum, quæ in libera regum Electione præcipue consistebant. Quid prætendunt Protestantes Belgæ? Conservationem religionis Euangelicæ, & privilegiorum, quæ ipsis permittunt Principem eadem violantem sine nota rebellionis imperio abdicare, & ad alium suo arbitratu sese applicare. Quid Vniti prætendunt? Conservationem libertatis, Imperii, & statuum eiusdem, & Euangelicæ religionis. Nonne igitur hi omnes easdem in effectu prætensiones habent, & nonne iisdem fundamentis, veteri nimirum libertate, & antiquis privilegiis, nituntur? Sed Plessius (regerit Fabius) communem esse dicit Vnitis causam cum Bohemis & Belgis quorū hi contra regē suum, illi contra Cæsarem rebelles sunt unde sequitur Vnitos etiam rebelles dici posse: sed negatur consequentia. Nam quod Belgæ se in libertatem vindicarunt, id sine nota rebellionis facere ipsis licuit & ea, quæ lege, sive privilegio, quod privata lex est, permittēte fiūt, ex trita Iurisconsultorum regula pœnam non merentur. Bohemi vero se contra Matthiam rebellasse negant, idq; inter alia vel inde cōstare aiunt, quod Ordines Bohemiæ à se conscriptas duas legiones, Turnianā nēpe & Caplirianā, & bis mille cataphractos Chinsky, & Sbubnæ, & ipsos etiā triginta Directores C. Matthię tanquā regi Bohemiæ, juramentū præstare jusserūt, valido, ut author dissertationis de causis nuper motæ Bohemiæ pag 27. sub finem scribit, in Principem suum obstinatæ fidei argumento. Et sane cum Epistola hæc familiaris a Plessio, procul à montibus Sudetis remoto, scriberetur nempe in autumno Anni 1618, quis, quæso, divinare poterat turbas illas tantas vires brevi temporis spatio esse acquisituras, ut post

mortem

mortem Matthiæ Cæsaris in abdicationem electi, & electionem novi regis desinerent? Sed ubi, nugator Fabi, Author informationis scribit ineptum esse dicere, Unitorum & Bohemorum idem esse fundamentum? An non toto hoc capite illum oppugnas, quia dixit eodem fundamento niti Unitos Bohemos, Hollandos, aliosque confœderatos Belgas. Ponit quidem ille in Responsione Germanica pag. 23. absurdum esse dicere, omnia inter Unitos, Status Hollandiæ, & Bohemos contra domum Austriacum uni fundamento superstructa esse: item absurdum dictu esse, Unitos aliquam speciem subjectionis, & vasallagii Domus Austriacæ debere; sed hoc longe aliud est, quam asserere, absurdum, sive ineptum esse dicere, Unitorum & Bohemorum idem esse fundamentum. Ignoscat nobis lector, si minutis, & leviusculis hisce immorari cogimur. Hujusmodi enim crassi, et supini errores hujus altum sapientis Iesuitæ nobis necessario deregendi sunt. Quis non videt, quo vos, Iacobe, tendatis, & quo res protestantium in Imperio, si vestra consilia prævaluerint, rediture sint? Nimirum ea, quæ pro defensione religionis Euangelicę & libertatis suscipiuntur, vel deliberantur, consilia Calvinistica à vobis appellantur, & omnia talia in pernitiem domus Austriacæ tendere, eorumque rationem non Cæsari tantum, sed etiam Dominis Austriæ reddendam esse non obscure innuitis. Porro favere vicinis Euangelicis, & commiseratione eorum affici, non est statim, ut tu Fabi, pag. 53. ais, tutores eorum agere. Calvinisticam imbecillitatem odiose nominas, & falso rerum summa à Lutheranis, & Hussitis in Bohemia dependebat, quod negari sine imprudentia insigni non potest. Utrum libertati Bohemorum aliquid detractum fuerit, nec ne, utrum in alieno solo templa ædificandi, jus fuerit ædificantibus, nec ne, hæc, & similia non sunt hujus loci, & in Bohemica Deductione excutiuntur. Notandum vero diligenter est, quod Fabius offutit, Cæsarem Rodolphum Majestatis litteras, ne peiora

pare

pateretur, pessimis concessisse. Pessimi ergo, Fabi, sunt Lutherani? Nam illis potissimum litteris Majestatis, tanquam reliquos omnes numero longe superantibus, concessas fuisse constat. Tenemus ergo te, Fabi, qui, calamo mentem præcurrente, ex abundantia cordis scribens, Lutheranos publice pessimos vocas, parum memor te illos alibi laudibus extollere, & studiose demereri. Qua in parte etiam insignis protervia tua notanda est, asserentis per litteras Majestatis libertatem ad quascunq; sacrilegas religiones (agnoscis tua verba?) concessam fuisse, id quod an sine injuria Cæsaris Rodolphi; an sine injuria Ordinum Bohemiæ, & Moraviæ, præcipue vero Silesiæ, & Lusatiæ an sine injuria Electoris Saxoniæ Christiani, qui concessionem, & promulgationem litterarum Majestatis sua apud Rodolphum intercessione promoverat: an sine injuria præsentis Electoris Saxoniæ, qui Silesiis, & Lusatis adeo sancte litterarum Majestatis observationem nomine Cæsaris promisit, dici, & scribi a te potuerit, candidi lectores judicent. Eodem loco etiam fraude uteris, asserendo, ab Authore Informationis Atheos & Epicureos appellari, qui Majestatis litteris authoritatem abrogare laborant. Non te pudet huius sive vanitatis, sive fallaciæ, quæ statim a lectore detegi potest? Iure quidem pro Atheis, & Epicureis haberi possunt ii, qui Constitutionem à Rodolpho, tanquam rege Bohemiæ, solenniter promulgatam, & in Tabulam Regni, quam vocant, relatam eludere, & fidem Regnicolis à Rege suo sanctissime datam violare non erubuerunt: sed tamen author reformationis non illud, sed hoc dicit; illos ex Protestantibus, qui non optarent hanc felicitatem Bohemis, (ita enim habent verba responsionis Germanicæ) ut una cum litteris Majestatis antiquam sibi libertatem conservare possent, labiis quidem religionem Christianam profiteri, in corde vero Atheos & Epicureos esse: quod quantopere discrepet à sensu verborum, falso à Fabio cavillante allegatorum, lector facile videt. Pag. 54.

Fabius

Fabius iterum impingit, & errat supine. Ait in Responsione ad Cancellariam Anhaltinam Compilatori affingi sequens argumentum. Plessius non ignarus erat arcanorum agitatorum cum Hollandiæ, & Bohemię Ordinibus, cum Turcico Vasallo Gabore, & rebellibus Vngaris, cum Bullionio, cum Anglo; Ergo Vnio contra Cęsaream Majestatem inita non est. Hoc tu (ais Fabi) delineasti non, nostrum argumentum, sed tuum. Quid dicis Fabi? Toto cœlo erras. Nonne vides has præmissas esse Compilatoris, qui ex illis inferre vult Vnionem contra Cæsarem initam esse; nullo modo autem Authoris, qui expresse dicit ex his præmissis Compilatorem male concludere, Unionem esse contra Cæsarem initam. Hic error ita crassus est, ut mirum sit illum in scriptorem celeberrimum inter Iesuitas Monachienses cadere potuisse. Lector rogatur, ne graveturi inspicere Cancellariam Anhaltinam pag. 36. Sive in aliis editionibus pag. 26. § *Ist dann der Staden &c.* Vbi non putidam vanitatem, ut Fabius garrit, sed re ipsa verissimum esse deprehendet, Compilatorem ex scientia & notitia Secretorum, quam Plessio attribuit, velle probare & argumentari, Vnionē contra Cęsarem, & contra obedientes Imperii status, vicinos suos, ab Vnitis initam fuisse. Argumenta duo, quæ pag. 56, & 57 format, parum nos movent. In priori negatur antecedens, nempe rebellio Belgarum, & Bohemorum. quia assertio libertatis, à Belgis, privilegiis & legibus permittentibus, suscepta, vere rebellio appellari non potest; & Bohemi rebellionem contra regem Matthiam negant: Ferdinandum nunquam possessionem regni apprehendisse, & se ipsum jure omni, si quod legitime acquisiverat, privasse contendunt, & in Deductione sua (quæ à vobis nondum refutata est) prolixe ea de re agunt. Posterioris etiam argumenti antecedens negatur. Vbi enim unquam dixit Author, Vnionem rebellium esse? Consequentia etiam quomodo bona esse potest, cum Fabius per errorem præsupponat ea, quæ adhuc in quæstione sunt, & præmissas Compilatoris ridicule supra Authori attribu

E at?

at? Quam candide agat Fabius pag. 59, hinc patet, quod asserere non dubitat post Plessii negotiationem statim arsisse Hungariam bello, effusamque etiam in ipsam Austriam Martis rabiem quando Gabor, rapto diademate superbus, & Turnius Comes, nefasti classici tubicen, prope ad ipsa Viennæ mœnia plus triumphi ostentavere, quam victoriæ. Turpissime, Fabi, hic in tempore, & rerum serie hallucinaris Trāsylvaniæ Princeps Anno 1619 circa autumnum una cum Bohemorum exercitu prope mœnia Viennæ consedit: Plessius vero tum temporis erat adhuc in Palatinatu, & mense demum Iulio anni 1620 profectionem in Ungariam superiorem suscepit, & post id tempus Transylvanus nunquam ad mœnia Viennæ rediit. Si talis error ab aliquo ex nostris forte commissus fuisset, statim à Fabio mendacii, vel falsi insimularetur. Suavis porro est Fabius, dum Ludovici Mollarti, testis domestici, Epistolam ad Cæsarem loco probationis allegat Eius contenta concernunt supremos status Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ superioris, inferiorisque Austriæ. quos, uti etiam ipsum Transylvanum, interrogare, Fabi, potestis, si videtur, an vera illa esse fateantur: Hoc loco ad illa respondendi nulla nobis necessitas incumbit. Quæ Hungari Cæsarem, Gallum, & M. Starzerum Turcis promisisse dixerunt, de illis ipsos Hungaros, quos in vicinia habes, interrogare potes. Quam iniuste testibus nostræ religionis fidem derogas, & Romanæ fidei addictis à nobis fidem adhiberi flagitas? Pag. 61 Fabius nodum in scirpo quærit, in dubium revocans, quod Auctor ait, in litteris Transylvani, superioribus annis Constantinopolim scriptis, quando nominantur Germani, intelligi Austriacos, & alios Austriacis adhærentes, non autem Silesios, nec Lusatos, nec alios Protestantes: Sed Author ad ipsa litterarum verba, & tenorem provocat. Pag. 62. Authorem perstringit Fabius tanquam Transylvani honori faventem, simulque illum contradictionis arguere conatur. Sed non satis perpendit verba Germanica, quæ Latine reddita sic sonant:

quam

quam desultorie hi homines hac in parte agant, & quam sæpe, ac facile stylum suum mutent. Verba hæc: hi homines non solum Compilatorem denotant, sed etiam alios, puta Austriacos, & reliquos alios imperiales. Quoties vero Austriacorum stylus, & loquendi formæ, ac prædicata, in literis & articulis pacis mutata fuerint, & quantû illa à vestris, Fabi epithetis, ac prædicatis, quæ Transylvano attributis, differant, nemo non intelligit. Invectivam, quam pag. 63 Fabi, sub ignorato (ut putas) nomine ferox, contra Transylvanum instituis, ab ipso Transylvano facile retorqueri & rationem expeditionis in Moraviam susceptę reddi posse existimamus. Negabit sine dubio majorem partem eorum, quę tu audacter asseveras. Inter alia enim falsissimum est, illum provinciam, quæ Regis Ungariæ ditionis erat, tanquam mehorit Christianis dominio Turcæ subjecisse. Transylvania jam inde ab hominum memoria fere Regum Ungariæ Imperium non amplius agnovit, & beneficio Imperatoris Constantinopolitani ante Gabrielem Betlenium Stephanus, Christophorus, Sigismundus, & Gabriel Bathorii, & Botschaius eandem possederunt. Imo ipse Ferdinandus primus Ungariam sibi à Solimanno in feudum concedi humillime petiit: ut infra docebimus pluribus. Quid, quæso, Fabi, hic pro excusatione Ferdinandi adduces quod Princeps Transylvaniæ etiam pro se allegare non possit?

Pag. 64. apud Bullionium auxilium contra Cæsarem sollicitatum fuisse innuit, sed non probat Fabius. Quis enim hominem ineptum, indolem Calvinisticam loco probationis allegantem, ferat? Britanniæ regem Compilator in sua Cancellaria adjungit Bohemis, Hollandis, Bullionio, Transylvano, & Ungaris loco supra allegato præsupponens, cum his omnibus ab Electore Palatino, & aliis perniciosa contra Cæsarem consilia agitata fuisse. Vnde liquido apparet, regem Angliæ etiam inter eos, qui vobis suspecti, & invisi sunt, a Compilatore numerari. Et tamen Fabius adeo parum pudoris habet,

 ut Au-

ut Authorem mentiri petulantissimè asseverare non dubitet. Cæterum quæ perniciosa consilia Palatinus ad Regem socerum attulit? De Electione Bohemorum illum certiorem fecit. Et venerunt quidem Regi, pacis & quietis amantissimo, in mentem rationes nonnullæ, quæ eum ab Electione publice approbanda dehortarentur: sed tu, Fabi, immane, quantopere erres, dum putas blanditiis tuis, & affectatis laudibus magnum illum regem ita demulceri, & fascinari posse, ut injurias, & contumelias, quibus ipsum, & omnes, sub potentissima Corona, & sceptro Magnæ Britanniæ viventes populos, barbarico fastu, & per summum contemptum affecistis, negligere, & silentio obruere animum inducat. Hic ab æquitate Regem hunc vos dilaudare ais: infra cap. 13. pag. 247. sævitiam illi contra Catholicos Romanos attribuis. An hoc non sit contraria scribere, &, quia contraria, & opposita simul vera esse non possunt, an non hoc sit mentiri (id quod tu impudenter Auctori hic tribuis) ejus rei lectores judices facimus. Pag. 65. sub finem, & sub initium sequentis cavillaris, Fabi, dum dicis in responsione ad vestram Cancellariam hoc loco asseri, licuisse nobis Ferdinandum, nondum Cæsarem, in Bohemia consiliis evertere: Cavillaris, inquam. Compilator enim tuus leves etiam offensas, quæ ante Electionem Francofurtensem accidisse dicebantur, crimina læsæ Majestatis appellat: hoc impugnatur in Responsione, veluti absurdum. Quo jure autem Bohemi Coronam Palatino, post abdicationem publice factam, detulerint, non est hujus loci disquirere. Deductionem illorum, Fabi, inspice. Quid, quæso, nugas de nummis Norimbergensib. denuo hic inculcas? Ad tuum dilemma facile responderi potest, priorem eius partem negando. Nunquam enim Palatini illos nummos viderunt, nec cuiquam ex unitis visos unquam audiverunt. Reliquis ergo omnibus invisibiles, vobis solis visibiles fuisse necesse est. Calvinistas non occulte solum, sed etiam aperte ad Imperij Coronam rapiendam grassatos esse, falsissimum

est,

est, nec alia responsione eget. Ad mysterium Iniquitatis (quod per conjecturam erroneam Authori responsionis ascribis) Compilator in eadem responsione hoc loco ablegandus fuit: nos te, Fabi, jam ad Apologiam Camerarij remittimus. Pag 68 & 69 ex hypothesi, quam ipse sibi fingit, Fabius infert, pacem Palatinis omnino & simpliciter adversam fuisse: id quod simpliciter negatur. Pag. 70. mala fide, quæ de Austriacorum Ordinum monitis in Responsione scripta inveniuntur, Fabius ad Reformatos solos transfert, & hos solos male erga domum Austriacam affectos fuisse astruere vult: cum tamen constet omnes in universum Austriacos Protestantes (inter quos paucissimi Reformati sunt) tot jam annos gravaminum suorum expeditionem ab Archiducibus communi consensu indesinenter flagitare. Excidit Fabio, uti apparet, feliciter ante non ita multos annos controversiam, natam inter regem Hungariæ Matthiam, & Austriacos Protestantes, opera Moravorum, & Hungarorum cōpositam fuisse. Quid ita, Fabi, Calvinistæ etiam illam pacificationem non impediverunt? De legato Danico dicis, Fabi, pacem ab eo postulatam eo tempore, quo non pax, sed pœna in perduelles decernenda fuit. Verum in longe alia sententia erat Elector Saxoniæ, qui per Epistolam, die 4. Maij, Anno 1622. Eckersbergæ exaratam, accuratissime hanc regis Daniæ intercessionem Cæsari commendavit, eumque monuit, ut Regis Daniæ intentionem, propositionem & petitionem sedulo ponderaret, nec laborem ipsius inanem esse pateretur (his enim verbis utitur) & ita Cæsarem non ad pœnam in Palatinum decernendam, sed ad reconciliationem, & ad pacem hortatus est. In eandem sententiam etiam Legati Saxonici, & Brandenburgici Ratisbonæ Anno 1623 locuti sunt. Verum in contrariā nitente toto authoritatis suæ pondere Papa Gregorio XV, qui præclare intelligeret, quid sua, & sedis Romanæ interesset, Missam in Palatinatum, unde per tot annos exulaverat, reduci, & remoto Palatino, Electorem secu-

latem Pontificium tribus Ecclesiasticis adjungi; nec hanc occasionem Protestantibus Germaniæ lethale plane vulnus infligendi negligendam esse judicaret. Bavaro etiam Cæsaris promissa reposcente, & privata publicis, more hominum regnandi cupidorum, facile præferente: prævaluit contraria & durior sententia; & cum per reconciliationem, ac restitutionem Palatini æquissimis conditionibus, & summo cum honore, & laude Cæsaris in portum facile, & tuto perveniri posset, navis Reip. irato mari, & sævissimis tempestatibus, quibus etiamnum agitatur, & horrendum in modum concutitur, denuo exposita fuit. Hic pœnę decretæ, hic, Fabi, rejectæ à vobis, Saxone, & Brandenburgico dissuadente, reconciliationis, hic juris à vobis regnandi gratia violati fructus est. Nam quod tu de Palatino obstinato, & nulla pœnitudinis signa edente, & pace indigno assuis: hoc totum falsum esse tum ex propositione Legati Danici, quæ typis excusa in manibus est, tum ex Epistola regis magnæ Britanniæ, die 12 Novembris Anno 1621 ad Imperatorem scripta, clarissime probari potest.

Caput Tertium.

COmpilator omnes Unitos, & non solos Calvinistas, ut tu vis Fabi, accusat, quod contra Imperium, & eiusdem constitutiones machinati fuerint. Probationem vero inde accersit quod dicit Triumviros (quos vocat) Sabaudo tertium aliquem Vicariatum conferre voluisse: quanquam nihil certi hac de re statutum, multo minus Sabaudo propositum, sed tantum discursum quendam de Vicariatu Palatini Electoris conscriptum fuisse ex ipsius Compilatoris narratione liquet. In Germania vero, ut tu vis, Fabi, tertium Vicariatum Allobrogi destinatum fuisse, de eo nullum apud Compilatorem verbum invenitur, imo ex allegato paragrapho colligitur, de Vicariatu extra Germaniam quæstionem

nem fuisse. In Germania enim tertius Vicariatus sine ipsius Palatini, & posteritatis illius jactura, & sine diminutione antiquissimi juris Palatinatus, constitui non potuisset. Verisimile ergo est de veteri, & hereditario Sabaudi Vicariatu, in Allobrogibus, & aliis locis Imperii Transmontanis, cum consensu Ordinum renovando, & adaugendo, cogitatum fuisse: nullo vero modo de Sabaudo, ut tu, Fabi, fabularis, velut Vicario viventi Cæsari substituendo: id quod absurdum, & ipsi Palatino parum honorificum fuisset. Videt ergo lector hęc omnia consistere in discursu, & in speculationibus, quæ a Compilatore male pro delicto in Imperium allegatæ fuerunt. Quod vero ad exemplum Vicariatus Frisiæ attinet, nullo modo hoc nos jugulat. Nam non est hoc loco quæstio de Imperatore ad tempus sibi Vicarium in aliqua ditione substituente; sed de Vicariatu Frisiæ utriusque, & in lata significatione sumptæ (in qua Hispani etiamnum illam sumunt, & complura loca Westphalici Circuli sub ea comprehendunt) non ad tempus Philippo, tanquam vices patris Maximiliani absentis obeunti demandato, sed Philippo, & eius heredibus, tanquam Principibus Belgii, in perpetuum attributo: id quod nec sine præjudicio Vicariatus Saxonici, omnia illa loca, & ditiones, quę sub Vicariatu Palatino non comprehenduntur, complectentis, nec sine interpretatione, & restrictione Aureæ Bullæ, quæ non Cæsari soli, sed Cęsari, & Ordinibus Imperii conjunctim competit, fieri potuisse videtur. Nec adeo expeditum est, quod tu, Fabi, audacter asseris, Vivum Cęsarem, cui vult, sive paucioribus sive pluribus, clavum committere posse. Sunt enim, qui scribant, Cæsare Germania egrediente, Vicarium esse de jure Palatinum: & quantum ad exemplum Caroli Quinti, fratrem Ferdinandum sibi substituentis, attinet, constat, Carolum Ludovico & Friderico Palatinis fratribus, qui sibi Vicariatum tum temporis deberi dicebant, diplomate solenni cavisse, ne Electori Palatino, & posteritati illius fraudi hoc esse, vel in

præ-

præjudicium Domus Palatinæ allegari posset.

Pag 78 declamat iterum pro more prolixe, & alienum regnum à Palatino appetitum fuisse dicit. Nos supra ostendimus, Ordines Bohemiæ Regnum tanquam suum & Vacans Palatino obtulisse: Palatinum, communi opinione sibi astipulante, ut tale accepisse. Hanc litem non facimus nostram: ea, quæ tu hic allegas, Fabi in Deductione Bohemica diluta inveniuntur, quod tu dissimulas. Palatinum voluisse facere, ut tu loqueris, occasionem, ut eo citius implere promissa, id est, Imperium tradere posset, negatur. De Alsatia, & de copiis, à Mansfeldio in Bohemiam ductis, supra diximus.

Pag. 81 § Instat, & paragraphis sequentibus usque ad paginam 89 Fabius multis verbis parum rerum complectitur.

Initio solitam petitionem principii denuo inculcat. Iam supra (inquit) dixi, totam Cæsaris domum petitam fuisse à vobis non consiliis tantum, sed armis quoque, Matthia adhuc superstite. Dixisti sane, Fabi, sed non probasti. Nam omnia consilia, quæ pro conservatione antiquæ libertatis Germanicæ, & religionis Euangelicę suscipiuntur, omnia quæ à Palatino, & aliis hoc periculosissimo, & suspicionibus ac diffidentia pleno seculo in eventum, & ad subitos casus, deliberata, provisa, & præparata fuerunt, in deteriorem partem rapere, & contra domum Austricam excogitata interpretari, quæ sive vecordia, sive malitia est?

Coronam Bohemiæ quod attinet, potest fieri, ut Sabaudus aliquid spei de ea conceperit, quippe Ordines Bohemię non male erga se animatos sciens, eosque, de quorum jure eligendi non dubitabat, eo diffidentiæ, & suspicionis jam progressos esse videns, ut, mortuo Matthia, magnam mutationem in Bohemia facile nasci posse existimaret. Si qua hac in parte, & in hunc casum officia Palatinus, & alii Principes promiserunt, pro peccato in Imperium, & ejusdem Constitutiones hoccine allegari potest? Coronam Bohemiæ vero Palatinum

Pe-

Pedemontano promisisse, Imperialem item, putida vanitas est. Officia futuris candidatis salva electionis libertate, polliceri, non repugnat fidei, & juramento Electorum. Scit hoc Moguntinus, sciunt alii, ab Austriacis candidatis sæpe rogati, Austriacis suam operam, sua officia sæpe polliciti. Insulse autem addit Fabius Imperii diadema Sabaudo promissum, ut obtentum Palatini tempora decoraret. Diadema enim, semel Sabaudo impositum ab Electoribus, quomodo erat in potestate Palatini eripere Sabaudo præsertim victori, & exercitum victorem (ex Fabii hypothesi) ad manum habenti? Nam quæ Fabius subjicit de facilitate persuadendi Allobrogi, ut post tot labores, pericula, post sumptus immensos domum inglorius, & spe sua frustratus rediret, ea vix in puerum cadunt, & in mulierculam aliquam, nedum in Principem ut maximi animi, ita judicii acerrimi, & summæ sagacitatis, cui verba date difficile est. Calvinistas autem fallere voluisse tantum Principem, ex actis Anhaltinis, non recte intellectis, Compilator, & hunc secutus Fabius perperam allegant. Sed verus illius loci sensus est: Sabaudum per legatum, qui ad eum mittebatur, monendum esse, si ad arma deveniatur, non posse bellum geri, quin Pontificiorum subditi etiam incommodo afficiantur, id quod mature Sabaudo indicandum censuerint, ne ille fortassis, si tale quid eveniret, inde suspicaretur, Palatino & aliis decretum esse, ex professo Pontificios oppugnare, & illorum religionem exterminare. Satisfecit hæc declaratio Allobrogi. & hunc verum sensum esse loci, ex actis Anhaltinis allegati, demonstrari potest ex originalis inspectione, ad quam hic publice provocamus. Nullum autem effectum communicationem hanc cum Sabaudo produxisse verum est, secundum vulgatum illud. Multa tractantur, quæ non perficiuntur, nec Sabaudus propter dolos Calvinisticos, ut calumniatur Fabius, consilium mutare necesse habuit, sed propter mutatam rerum faciem in Bohemia, & propter Electionem Palatini, in cuius potestate non

erat transferre Coronam in Sabaudum, Ordinibus non assentientibus. Porro quomodo hæc cohærent, Fabi, Palatinum sibi sceptrum voluisse Imperiale vindicare, si vel Sabaudo suum votum volebat dare, vel Duci Bavariæ dedit: quæ omnia diversis in locis à vobis affirmantur?

Quæ de priscis Imperatoribus, & de statuum Imperii erga illos reverentia, & obedientia, & rursus de horum temporum dissidiis in religione, & de lentitudine ac tenuitate subsidiorum, quæ nunc à statibus Cæsaribus subministrantur, Fabius disserit, in medio, & aliis examinanda relinquimus. Hoc tamen expresse negamus, Reformatos Imperium vendere voluisse. Alioquin enim sequeretur, etiam Carolum Quintum, & alios domus Austriacæ Principes, qui Electorum vota interdum etiam pecunia interveniente, sibi conciliare studuerunt, Imperium emisse: id quod dictu absurdum, & toti Imperio parum honorificum foret. Injuria, quam sub finem pag 86. Fabius Compilatori fieri dicit, nulla est. Author Responsionis ad Cancellariam Anhaltinam allegat paginas quasdam, ex aula Bavarica in aulas nonnullorum Principum Protestantium Anno 1622 pro defensione litterarum quarundam interceptarum sparsas, & à Compilatore, multorum opinione, conscriptas: has inquam allegavit Author Responsionis Germanicæ, quæ cum ederetur, ne fando quidem de tua, Fabi, Litura quidquam, ut pote anno, & amplius post impressa, accipere potuerat. Ad lituram tuam responsum fuit, & fortassis, si opus fuerit, adhuc fusius respondebitur. Habes verum sensum verborum Authoris responsionis, à quo aberraveras, quo ad paginas ab ipso allegatas, non impressas, sed manu scriptas. Rem ipsam quod attinet, Author Responsionis Germanicæ pag 31 parte prima ex illis paginis ita argumentatur: Si licet Principibus domus Austriacæ laborare, ut Coronam Imperialem in Domu sua retineant (ita enim verba Germanica habent) cur Palatino cum Allobroge super Corona Romana colloqui, & conferre non

lice-

liceret? Non dixit autem ex illis paginis sequi, Principibus Austriæ permissum esse, vindicare domni suæ Imperium, tanquam perenne. Interpres quidem posuit hæc verba Latina: ut suæ Domui Coronam Romanam vindicent, ab Authore non usurpata in responsione Germanica: sed Fabius pro candore Jesuitico assuit de suo hæc duo verba: tanquam perenne: quæ duo verba lector in versione Latina non inveniet. Sub finem paragraphi per injuriam &c. denuo fatetur, licuisse Electori Palatino cum Allobroge super successione Imperii, vivo adhuc Cæsare, colloquium instituere: id quod tamen à Compilatore in Cancellaria Anhaltina, & à Cognomine lo in secretis secretorum, tanquam magnum crimen Electori Palatino exprobrari supra diximus. Pag. 89. repetit priora, ad quæ supra responsum fuit. Pag. 90. Fabius errat dupliciter. Primo ait, Archiducis Maximiliani, Domui suæ tot annis tractatum sceptrum servare laborantis, curam nulli noxiam esse, neque adversantem Electorum libertati. Sed in responsione ad C. Anh. demonstratur, consilium Maximiliani votorum Electoralium libertati progressu temporis non parum nocere posse. Deinde non capit Fabius, quid Maximilianus per designationem, quam Cæsari reservari volebat, intellexerit. Non intellexit renuntiationem, ut Fabius opinatur; sed propositionem, aut nominationem unius, vel alterius, quem Cæsar elegi vellet: & hanc nominationem, sive prætaxationem (uti a veteribus quibusdam rerum Germanicarum scriptoribus vocatur) cupit Maximilianus integram manere, & deferri Cæsari. Hoc vero cum libera Electione incompatibile esse, ab Authore Responsionis demonstratur.

Pag. 91 irretire, & contradictionis arguere Palatinos conatur. Sed verba de inhabilitate Ferdinandi ab eo allegata, non à Palatinis, sed ab Italo quodam extra Germaniam dicta fuerunt, ut ostenditur in responsione ad C. Anh. parte secunda cap. 10. De electione inepta, in Germania facta, quę

F 2 Fabius

Fabius refert, extra Germaniam & non à Palatinis, dicta vel scripta fuisse apparet: & proinde cessat objectio Fabii, quasi Palatini elegissent eum, quem ineptum ipsi judicassent.

Pag. 92. § rursus ait Fabius Authorem responsionis innocentiam suam asserere ex alieno facto, quod nullo iure prohibetur. Respondetur: Compilator calore disputandi contra Palatinos allegat pro crimine communicationem, super successione Imperii vivo Cæsare cum Allobroge institutam. Hunc refutaturus Author responsionis apposite adducit exemplum Alberti, vivo & inscio fratre Rodolpho Cæsare de Corona Imperiali cum Electore Brandenburgico per legatum agentis, & inde, aut Electorem Palatinum nihil contra Imperium, & ejusdem Constitutiones hac in parte deliquisse, aut Alberti etiam factum necessario condemnandum esse, rectissime concludit.

Pag. 95. in dubium revocat pactum Principum Domus Austriacæ, cujus exemplum Deductioni Bohemicæ nu. 48. insertum est, & quod multi Ordinum Protestantium legati in Comitiis Ratisbonensibus Anno 1608, ipso Matthia Hungariæ Rege curante, evulgatum legerunt, & in exemplari Italico, a Papa Paulo V. & rege Hispaniæ subscripto, exercitus in eventum subministrandi mentionem fieri viderunt; ad quorum testimonium hic publice contra maledici hujus hominis, & in rebus sibi, ut fatetur, incognitis alios mendacii impudentissime insimulantis, calumniam, & malitiam provocatur. Plane insulse idem Fabius, id quod de hereditaria successione in responsione legitur, illam nempe esse rem in Imperio abominabilem, & ipsa morte acerbiorem, ad dolorem, & curam mortualem (his enim flosculis utitur) Authoris refert, cum nemo non videat Authorem ne nominare quidem privatum suum, vel cujusquam alterius dolorem, sed loqui de re omnibus Imperii Ordinibus, priscæ libertatis amantibus, exosa, & abominabili. De auxiliis Bohemiæ Ordinibus à Palatino subministratis, de Electione eorundem

acce-

acceprata, alibi dictum est: de læsa etiam Majestate agitur in 2. parte Responsionis ad C. Anh. pag. 241. Sub finem elevat ea, per quæ in dicta Responsione demonstratur error Compilatoris, ponentis talia, ex quibus absurda sequuntur, quæ tamen astute silentio præterit Fabius, & loco responsionis scoptice & sarcastice paragraphum concludit.

Pag. 99 bruto more ratiocinari Autorem ait Fabius subiratus. Sed nonne est verum, & supra demonstratum, de Corona Matthiæ Cæsari eripienda nunquam actum? Ferdinando Coronam Imperialem nemo eripere vel voluit, vel potuit, quia nondum eam habebat. Domui Austriacæ etiam eripi non poterat, cui nihil in eam juris. Quomodo igitur Palatinus Domui Austriacæ tres Coronas eripere vel voluit, vel potuit? Hęc omnia sine responsione Fabius eludit, & lectori insidiatur ambiguitate verborum horum: Etiam jura Cæsarea ad successores transeunt. Nam hæc propositio de successoribus in dignitate Imperiali, qui per electionem succedunt, vera est: de heredibus autem, sive de successoribus jure heridario succedentibus (de quibus author loquitur) non est vera. Ad tales enim (nisi & ipsi ad dignitatem Imperialem per electionem perveniant) jura Cæsarea non transeunt: id quod nemo non intelligit. Hanc cavillationem & fallaciam Fabii notare operæ pretium est.

Pag. 100 Fabius satis audacter quęstionem status movet Thuano, summo viro, & cum quo errare honori, & laudi quis merito sibi ducat. Ad errorem Thuani commonstrandum allegat Fabius noster ex Sleidano sub finem libri septimi, Ferdinandum ab Electoribus collatis consiliis Coloniæ Romanorum regem renunciatum fuisse, non autem à Carolo Quinto, ut Thuanus scribit. Sed par erat Fabium advertere locum Thuani ab Auctore allegatum fuisse non ut probet renuntiationem Ferdinandi à Carolo factam, & non ab Electoribus (hoc enim ad propositum non multum facit) sed ut probat fœdus à Principibus Germanis protuendaantiqua

F 3 liber-

libertate Germaniæ cum rege Galliæ ictum fuisse. Hoc quidem non negat Fabius, sed ex eorum numero eximit Principes Bavariæ, tanquam in tota vita Carolo addictos. Quod vero adeo aperte Thuano (cui in Annalibus suis Gallicis vir illustris Martinus Bellayus astipulatur) fidem derogans negat, pecuniam apud Bavaros depositam fuisse, ea de re cum Fabio, homine adeo verboso, verbis contendere consilium non est, sed lectori judicium permittendum esse arbitramur. Descendit deinde ad fœdera alia, ab Authore memorata; Hassi nimirum cum Francisco Primo, Mauritii, & sociorum cum Henrico secundo, Galliarum Regibus: & utrumque contra leges Imperii, & Comitiorum scita, initum fuisse affirmat, injuriam insignem faciens magnis illis, & Heroicis Principibus, Mauritio inprimis, cui conservationem legum, & libertatis Imperii præcipuum in sua expeditione scopum fuisse ex ipsius Programmate apud Sleidanum cognosci potest. Hoc loco silentio prætereundum non est, Fabium dicere Protestantes Germaniæ non esse audiendos, si de duriori Imperio conquerantur, aut gravamina allegent multo minus ipsis licere de defendenda libertate sua cogitare: sed facere illos debere (sunt verba Fabii) quod jubentur. Annon hoc manifesto judicio est, Iesuitas statum Imperii Aristocraticum abolitum, & Protestantes in servitutem similem illi, quam populi, Hispanico sceptro subditi, serviunt, redactum ire? Valde etiam notatu dignum est, quod Fabius sub finem non obscure innuit, hæc fœdera allegare in effectu esse aliorum peccata allegare. Unde necessario sequitur, cum Mauritius beneficio fœderis cum Galliæ rege & liberationem Principum captivorum, & pacem religionis impetraverit, Protestantes ex peccato Mauritii hodierno etiam die pace religionis frui, id quod dictu absurdum, & cum Protestantium dedecore, & contemptu conjunctum est.

Pag. 104. Mauritium, & socios perstringit, veluti licentiæ potius, quam libertatis cupidos, addens, illos bellum civile

vile parasse (ut loquitur.) cum tamen constet, illos invitos, & non nisi extremis malis (extremum enim malorum servitus, & libertatis oppressio est) extrema remedia adhibituros, arma cepisse. Mauritius quoque quam procul à libidine patriam bello civili fatigandi abesset, inde sole meridiano clarius elucescit, quod statim post transactionem Passaviensem, & libertatem, ac religionem aliquo modo in tuto collocatam, meliorem copiarum suarum partem in Hungariam duxit, ibique fortem, atque utilem operam Imperio, regi Ferdinando, & domui Austriacæ navavit. Talem itaque, tantumque Principem cum Fabius meditati belli civilis & violatarum Imperii constitutionum accusare non vereatur, quis deinceps mirabitur illum omnia, quæ Palatinus, & socii tuendæ veteris libertatis ergo consultarunt, dixerunt, scripserunt, fecerunt, in deteriorem partem malitiose interpretari, meditationem belli civilis, & subvertendi Imperii, denique impietatis in patriam conceptæ crimen appellare?

Cæterum notandum est hoc in loco, Fabium etiam sibi ipsi contradicere. Nam pag. 104 ait Mauritium, & ipsius confœderatos bellum civile parasse. Pag. 105. autem dicit, illos Germaniæ salutem spectasse. Hæc vero non bene convenire, nec in una sede morari evidens est. Ergo tibi, Fabi, dicenti: Induc ipse, quæ scripsisti, reliqua, merito respondetur: Induc ipse, quæ scripsisti, contraria.

Pag. 106. itaeunde Fabius exaggerat consilia de exuviis vivi Cæsaris, quæ illum supra non potuisse probare lector probe meminit. Mentionem à quodam ministro alterius Principis, inscio Palatino, in colloquio cum Allobroge de Alsatia semel injectam, ille vocat consilia a Palatino de exuviis vivi Cæsaris agitata: de Provinciarum, quas Pontificii possident, rapinis Palatinum cum Unitis (solus enim quomodo rem tantam aggredi ausus fuisset?) consultasse, & bella suscepta, ut Fabius ait, negatum fuit, & negatur. Quod si forte Palatinus, & alii in eventum, si Uniti, & Ligistæ (ut po-

te ab

te ab utraque parte armati, & sibi invicem suspecti, ac diffidentes) mutuo in sese ferrum stringerent, de ratione belli gerendi, & de hoc vel illo loco per præventionem occupando cogitarunt: vos idem non fecisse, cui, objecto, Fabi, persuadebis? Quæ ex pag. 107. exactis Bohemicis odiose, ad Allobrogem contra Palatinum, & ipsius consiliarios concitandum, adducis, illa Palatini pro suis non agnoscunt, nec ad illa responde-re tenentur. Pag 108 Venetos eodem modo te concitaturum esse putas, sed frustra

Nam & Sabaudum, & Venetos constanter libertatem communem amare, ac pro viribus protegere, exemplum Rhætorum, quos una cum rege Galliæ, ex servitute & injusta oppresione liberandos susceperunt, restatur, ringentibus Bavaris, aliisque Ligistis, quintę Monarchiæ, ad quam à nonnullis aspiratur, fautoribus Falleris, Fabi, si illos à tam laudabili, & heroico proposito per miscellanea politica, tumultuarie, & in solius memoriæ subsidium privatim congesta, & nemini, nisi vobis in originali visa (si modo visa) revocari posse existimas.

Si Veneti denegarunt pecuniam Unitis, denegarunt etiã Bavaro, & Ligistis, denegarunt his etiam fœdus. Neque enim nos fugit, vos non ita pridem de utroque Ducem & senatum Venetum solicitasse Sed noluerunt fœdus inite cum vestro Principe, quẽ tempore controversię cum Paulo Quinto Crivellium Italum, cubicularium suum, Nancium misisse, & per eundem Comitem Vaudemontium, affinem suum, qui jam aliquot annos stipendium à Republica acceperat, à milite conscribendo, vehementissime dehortatum esse meminerant

Pag 110 ait sine causa Vnitos pecuniarium subsidium à Venetis petiisse, quippe nec de religione, nec de libertate periclitantes. Sed negari non potest, multa & magna esse Protestantium gravamina; & à processibus Aulicis, quos vocant, & ab executione, quam Catholici Romani in postremis. Comitiis Cæ-

ijs Cæsari vehementissimè suadebant, præsentissimum omnium fortunarum periculum ijsdem imminere res ipsa loquitur. Ad ea, quæ de Electione Francofurtensi denuò inculcas, Fabi, non necesse est operosè respondere. Sunt secreta Conclavis, & ita vulgò vocantur: nec à quocunque illa habeas, salva fide silentij tibi homini de schola revelari potuêrunt Sed cui bono, Fabi, ista jam refricare? Si electio bona fuit, cur Palatinum mordes? Sin minus, in culpa potissimum sunt illi, penes quos erat totius illius negotij arbitrium, & directio. De meritis Palatinorum erga Austriacos legi multa possunt apud Hubertum Thomam in annalibus de vita Friderici secundi Palatini. Fabius quidem Palatinis exprobrat, quod parum fuerint Cæsaribus in publicis Comitiis obsequentes, sed Electoribus Palatinis sufficit testimonium Ordinum Protestantium, quibus notissimum est Electoralem hanc domum libertatem Ordinum, conservationem religionis Euangelicæ, & publicum bonum omnibus alijs rebus, & ipsi Cæsarum gratiæ (qua, si voluissent, florere non minus, quam alij, fortassis etiam præ alijs potuissêt,) magno semper animo anteposuisse. Porro Authorem Responsionis (quem Plessium esse ex levi, ut suprà diximus, conjectura suspicatur) merito vulgi sermonibus lacerari ait, sed per calumniam. Nunquam enim probabit, illum aleæ infidum jactum, &, reges regnis, aut regna regibus spondanda, suasisse. Bohemi suum regnum Palatino obtulerunt, non alienum & ut tale ille accepit, innitens rationibus, & fundamentis, quæ in Deductione Bohemica prolixe omnium oculis exposita, & à vobis, Fabi, nondum solide refutata fuerunt. Consilia ab Electoribus Palatinis jam inde à 70. annis ad communis libertatis, ac religionis Evangelicæ conservationem directa, nec hunc morem à recentioribus demum consiliariis introductum fuisse, negari sine impudentia nequit: nec alia fuit mens consiliatij Cæsarei, cujus in Responsione ad Cancellariam Anhaltinam ex relatione aliorum mentio facta fuit, aulæ Palatinæ, & consiliorum non imperiti: quid-

quid Fabius garriat, qui nobis sive judex, sive interpres merito suspectus est.

Caput Quartum.

PAg. 117. Fabius, Compilatoris vestigiis insistens, dicit Electorem Palatinum pacem in Bohemia facere nunquam in animo habuisse. Profert in eum finem litteras Comitis Solmensis, ante biennium mortui, & qui litteras suas amplius interpretari, aut earum rationem reddere nequit. Ridiculè autem addit Fabius Authorem has litteras occulere, cum nunquam eas viderit. Allegat deinde ex Epistola quadam Christophori Baronis Donavij sequentia verba. Prælegisse se Palatino litteras Anhaltini Principis, arbitrantis res in Bohemia feliciter succedere, & tam cito nullam pacem futuram. Equidem non est, quod nos hic patrocinium Baronis suscipiamus. Nam ipse erit suorum verborum optimus interpres, quippe ea rerum cognitione, judicio, & experientia prædi us, ut Fabij insultum facile possit repellete. Illud tamen lectorem hic monere visum est, allegata de pace verba recte intelligi posse de pace tali, qualem Bohemorum adversarij in aula Cæsarea, eorundem libertati insidiantes, meditabantur, & quam omnes patriæ vere amantes metuebant, pacem nimirum plenam insidiatum, & aperto bello longè deteriorem. Talem vero pacem quis Protestantium cum bona conscientia Bohemis optare, aut suadere potuisset? Instituit deinde novam ineptissimam Prosopopœiam, quam nos ne unius quidē assis æstimamus. Quis enim unquam Palatinorum Bohemos ita affatus est? Per tales nugas argumenta non solvuntur. Sed jam audiamus Fabium totis viribus Plessium adorientem. Primum Epistolam eius patricidialem vocat. Familiarem, & privatam hanc esse manifestum est, scriptam item 25 Decembris Anno 1618, quo tempore Bohemi non tantum Matthiam pro re-

pro rege suo agnoscebant, sed etiam ipsi 30 Directores, & Duces Copiarum Bohemicarum, & totus exercitus, Cæsari Matthiæ fidelitatis juramentum præstiterant, ut supra diximus. Inde apparet, illos à Plessio vel aliis pro rebellibus haberi non potuisse. Quæ de castris in finibus collocandis dicuntur, eodem pertinent, nempe ad hostium Bohemiæ, quibus ad Matthiam aditus patebat, consilia, & insidias præveniendas. Nec ex hac aut ulla alia Epistola probari potest Plessium Bohemos ad arma potius, quam ad pacem amplectendam incitavisse. Ad quem enim Bohemorum Plessius scripsit? An ullam eius Epistolam, ad aliquem ex Bohemis exaratam, vel Compilator, vel Fabius produxit? Nullam sane; quia nullam invenerunt, nec inventuri sunt unquam. Vix quenquam Bohemorum tum temporis de facie paucissimos de nomine noverat Plessius. Sed scripsit (regeret sine dubio Fabius) ad Anhaltinum, generalem Bohemorum Capitaneum. Scripsit sane ad Anhaltinum, cum quo ipsi totos triginta annos epistolarum familiarium commercium intercesserat; sed scripsit & eo tempore, quo ipsi de Anhaltini Bohemico generalatu nihil adhuc in mentem venire poterat, & scripsit libere, veluti familiariter cum Anhaltino colloquens. Ex his, aliisque circumstantiis facile perspici potest, male à Fabio hanc Epistolam vocari parricidialem, nec ex eadem recte inferri, Plessio propositum fuisse Bohemos ad arma capienda instigare, aut illis rationem belli gerendi suggerere. Quæris, Fabi, quæ libertas, quæ privilegia nutabant? Adi dissertationem de causis nuper motæ Bohemiæ, ubi plenissime tibi responderi videbis, simulque erroris te, & vanitatis convinci asserentem Bohemis nihil præter bonam mentem defuisse. Cæterum reprehendendus non videtur Plessius, si Euangelico sibi vigore libertatis, qua Protestantes Germani fruuntur, licuisse putavit Bohemorum vicinorum libertati, & religioni bene velle, nec hac in parte Plessius ullum errorem, qualem Fabius innuit, agnoscit, multo minus se er-

rorem magnum Bohemis suasisse fatetur. Nam nec salubrem, nec insalubrem modum Bohemis demonstravit, cum nihil ad illos scripserit. Pacare cur Bohemi petere non potuerint, quod avebant (loquimur ita cum Fabio) in eadem dissertatione demonstratur.

Pag. 120 Fabius ad secundam Epistolæ partem accedit, Authorem Responsionis plane irretitum se tenere sibi persuadens. Scripserat Author hoc capite pag. 42 Compilatorem errare, dum putat suspensionem armorum ab Electore Palatino aut eiusdem consiliariis primum inventã, & propositam fuisse in commodum Bohemorum, & pernitiem adversæ partis. primum inventam, sive excogitatam, inquam (hoc enim significant verba Germanica, *uf die bahn gebracht*) fuisse a Palatino, vel eius consiliariis. Horum utrumque negavit Author, ostendens, neque Palatinum, vel eius consiliarios esse primos inventores, & Authores suspensionis armorum, neque eam ursisse: neque suspensionem, a quocunque tandem primum excogitata, & proposita fuisset, tum temporis Bohemis emolumento, vel adversæ parti damno esse potuisse. Fabius Authori (quem Plessium esse suspicatur) lethalem ictum, uti sperat, inflicturus, & ipsa nobilitatis insignia, tanquam opima spolia eidem detracturus, allegat verba Palatini ex Epistola, ad Bavarum scripta, quæ ita habere dicit. Placuisset nobis mitior componendi modus, & ut res minime ad aliquam suspensionem armorum deduci potuisset. Sed esto; credemus Fabio fideliter illum verba ista allegasse: Hinc tamen nullo modo sequi dicimus suspensionem primũ à Palatino inventam, & non ab aliis prius apud Palatinum eiusdem mentionem factam, antequam ille in suis ad Bavarum litteris de eadem aliquid significaret. Revera enim ab aliis Principibus, patrię, & tranquillitatis publicæ amantibus, cessatio armorum primum Palatino proposita fuit: ille nec statim rejiciendam, nec etiam valde sibi urgendam, ne videlicet apud alterutram partem in suspicionem incurreret,

ret, esse judicavit. Unde apparet non stringere, quod Fabius ait. En votum Palatini. Nam non displicere quidem ait sibi suspensionem, sed tamen eam non urget, ut Auctor rectè in responsione sua scripsit. Nec ex litteris eodem Anno 1. Septembris ad Bavarum à Palatino scriptis Author falsi, vel mendacij (ut Fabius proterve asseverat) argui potest. Loquitur ibi Palatinus de cessatione armorum ad breve tempus, ad cujus promotionem, quia de voluntate Bohemorum dubitabat, sese offert. Ubi autem, Fabi, illam urget, aut Cæsarem, Bavarumve ad cessationem armorum hortatur, ubi illam invitis obtrudere, aut suadere importune conatur? Multo minus ex iisdem litteris probari potest neminem antea Palatino de suspensione aliquid scripsisse, vel dixisse, sed Palatinum tanquam primum authorem illam Bavaro proposuisse. Evidens itaque est Fabium non probasse suspensionem vel à Palatino primum excogitatam, vel Palatinum illam importune ursisse, quæ duo negaverat Auctor Responsionis, qui merito à crimine falsi, & mendacii, Fabio non probante, absolvitur. Hoc loco observandus venit astus Fabij. Nam Compilator, cuius ille defensionem suscepit, loco allegato innuit suspensionem armorum in damnum Cæsarianorum propositam fuisse. Id falsum esse, & suspensionem armorum Cæsarianis, quam Bohemis, utiliorem futuram fuisse Author Responsionis ad C. A. demonstrat. Hoc dissimulat Fabius, & nihil ad illud respondet quia videt inde sequi Compilatorem errasse, dum vult Palatinum, & ejus consiliarios criminari, & accusare mali animi erga Cæsarem, probatione desumpta ex suspensione armorum, quæ tamen Cæsaris rebus magno emolumento esse potuisset. Pag. 122. mendacij Fabius Authorem responsionis arguere conatur, sed non meliori, quam in præcedenti paragrapho, fundamento nitens. Meminit lector nos supra ostendisse, Bohemis tum temporis rem non tam cum rege Matthia fuisse, quam cum iuratis ipsorum hostibus, qui plurimum apud regem pote-

rant (uti videre est in dissertatione de causis motæ nuper Bohemiæ) quique nihil pensi habebant, virtutene an dolo, simulatione & dissimulatione Bohemis exitium pararent. Ab his periculum erat ne per simulatam compositionem Bohemi circumvenirentur. Hoc timendum fuisse dixit Author responsionis, & ante eum Plessius in Epistola, de qua agimus Fabius autem ait hoc esse angi prospera Cæsaris fortuna; hostibus contra Cæsaris voto, & ope velificare. perinde ac si Cæsari honorificum, aut utile esset, res ipsius per fraudem ac dolum, & simulatam compositionem promoveri. Hæc satis clara sunt, nec dubia, & hæc responsio caret ambagibus, sine quibus Fabius nos vult loqui. Pag. 124. divinat Fabius causas, quæ Bavarum moverunt, ut partes pacificatoris in se recipere gravaretur. Prævidebat fortasse (inquit Fabius) non Bohemos solos adversarios futuros, sed Calvinistas Heidelbergenses quoque, turbis, non pacinatos. Nos addimus Prævidebat fortasse ex his turbis offerri sibi progressu temporis posse diu exoptatam in Electoratum Palatinum involandi occasionem. Unde non mirum est illum a promovenda pace alieniorem fuisse Pag 125. ait Cæsarem prudenter Austriacis, aliisque fœderatis compositionem pacis non commisisse. Sed nonne prudenter fecit idem Cæsar, tum temporis adhuc Hungariæ Rex, quod potestatem de pace inter ipsum, & Austriacos Protestantes agendi, Moravis & Hungaris concessit, qui etiam magna cum felicitate, & laude illa dissidia composuerunt? Ad quæstionem ab authore motam nihil respondes, Fabi, & ita transimus ad id, quod dicis te non intelligere, quid Author cum Hispano, quid cum Pontifice velit, cum tamen nemo non intelligat Authorem hoc velle, Compilatorem nimirum ex iisdem Plessij litteris probare conari, ab Hispano, ac Papa Unitos sibi non metuisse id quod tamen non rectè inde inferri Author responsionis pluribus demonstravit. Pag. 127 quærit Fabius, quis Plessio litterarum, à Zuniga in Hispaniam scriptarum,

ptarum, copiam fecerit? Inepta sane quæstio, & ad quam respondere necesse non est. Notum enim est, & obvium cuivis, multorum regum, principũ, & Rerumpublicarum legatos aulam Hispanicam, & Bruxellensem frequentare, qui una cum Secretariis suis, aliisque ministris omnia, etiam minutissima, diligenter observant, ac rimantur, & dominis suis perscribunt, interdum etiam amicis suis, & hi deinde cum aliis eadem communicant. Nonne igitur hac etiam ratione litterarum Zunigæ notitia aliqua ad consiliarios Palatinos pervenire potuit? Plane itaque impudens, & publico virorum prudentum odio dignus est Fabius, qui ex suo cerebro, ex sua conjectura, & sine alia probatione viros in negotiis publicis diu multumque exercitatos alienarum Epistolarum per insidias exceptarum insimulare non erubescat. Iterum inculcat, Bohemos a Plessio ad rabiem armatam concitatos, & instructos fuisse: sed ubi, Fabi, & quando, & quomodo? Hæc autem calumnia supra refutata fuit. Frustra etiam Authorem contradictionis arguere conatur, asserens illum supra effutire ausum simulatam fuisse quæsitam pacem: hic autem asserere, Hispanum voluisse pacem Cæsari commodam ad regendum, rursus obtentum ferociorem Bohemiæ equum, neminem vero simulare quærere pacem, qua fruatur. Hæc Fabius. Sed mi homo, potestne pax vere, & sincere dici quæri ab eo, qui pacis occasione, & beneficio se (recuperata semel possessione) ea, quæ per compositionem connivendo, & tempori inserviendo indulta, & concessa fuerunt, paulatim in pristinum statum reducturum esse sperat? Nonne simulate hæc pax quæritur, quam quis progressu temporis enervare, & ad nihilum redigere in animo habet? Porro de tali pace Author responsionis expresse loquitur, & Hispanum in pace cum Bohemis facienda talem scopum habiturum esse dicit. Supra quidem dictum fuit fieri posse, ut adversarii Bohemorum in aula Cæsarea pacis studium simularent, in eum finem, ut Bohemi securiores, & incautiores

facti

facti ea, quæ ad defensionem necessaria erant, minori cum fervore præpararent: sed illud cum hoc loco revera non pugnat. Paria enim sunt pacem simulare, vel pacem quidem ad tempus sedulo quærere, sed animo eam, recuperata regni possessione, paulatim enervandi, & omnia in pristinum statum contra datam fidem restituendi. Ex his sequitur, propositionem tuam, Fabi nemo quærit simulare pacem, qua fruatur: simpliciter veram non esse. Nam si quis pacem quærat animo illa fruendi cum damno, & pernitie eius, cum quo facta est, hunc falsum est simulate pacem non quærere, imo talis pax non pacis, sed fraudis, simulationis, & insidiarum nomen meretur. Pag. 128. ait, Plessium docuisse Bohemos adversus Cæsarem, spreta pace, belligerare: sed hoc falsum esse supra demonstravimus. Pag. 131. Fabius triplicem criminationẽ instituit. Primũ ait, inviolabilia mortalibus sepulchra, sacros cineres, divis dicatas aras, & sanctorũ corporũ adyta prophanata fuisse. Secundo ait Plessium sua manu sacellum Regium Pragense vetustis monumentis & donis expilasse. Tertio, sanctos, irritatos, & violatos, in prælio Pragensi huius criminis vindices fuisse, & ferociam adversariorum suorum contudisse. Ad hæc nos ordine, & distincte ita respondemus Primum regij Sacelli Reformatio non tam jussu regis Friderici, quam quorundam ex Proceribus studio, & zelo suscepta fuit Nulla autem altaria eversa fuerunt, unius pars superior tantum amota, fundamentum vero relictum fuit: ara major in choro plane integra remansit, statuis quibusdam tantum & imaginibus remotis, quarum majorem partem Baro Lobchewitzius, ærarij Præfectus, & Dwortzeskius Lutherani, qui intererant, in Lutheranorum templum transferendam curaverunt. Reliquæ imagines, picturæ, & similia alicuius apud Pontificios pretij crepundia in superiorem templi locum trãslata, &, foribus probe obseratis, diligenter asservata fuerunt. Colossi, & statuæ majores ex oculis hominum, & extra templum fuere amotæ, & hæc omnia a fabro lignario, & fabro

ferra-

ferrario, & aliis opificibus, qui omnes Aulæ regiæ operam navare sueti, & Lutherani erant, administrata, & facta fuerunt. Scultetus repurgationi templi ab initio non adfuit, à quibusdam ex Proceribus accersitus demum comparuit. Sacros cineres, & corpora sanctorum, quæ Fabius vocat, quod attinet non negatur sub duabus aris, quarum supra mentionem fecimus, inventos fuisse cineres, & ossa quædam, quæ ab astantibus ex parte pro ossibus non humanis, sed brutorum animalium habita fuerunt, & sine scandalo ex hominum oculis amota, id quod tibi adeo mirum, Iacobe, videri non debet, cum sine dubio legeris, quæ Georgius Cassander, Romanæ religioni addictus, in consultatione sua Capite de Veneratione reliquiarum scripta reliquit. Dicit enim, olim cum memoria martyrum esset recens, & reliquiæ eorum certæ, ad ipsorum sepulchra miracula facta fuisse, sed abusum deinde accessisse: ad inescandū populum falsas reliquias, falsa miracula supposita fuisse, & sæpè per illusiones diabolicas superstitiosos deceptos, & circulatores lucri causa falsas reliquias vendidisse. Deinde ait, Hodie vero cum passim omnia reliquiis sanctorū plena videntur, verendū est, ne si Episcopi, & Principes in veris reliquiis inquirendis, & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes, & detestandæ imposturæ patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est ut olim B. Martino accidit, qui cum in locum quendam suæ Diœceseos se contulisset, deprehendit populum venerari, & frequentare sepulchrum non martyris alicuius, sed pessimi latronis, quod ille statim dirui jussit, &c. Hæc Cassander. Quomodo jam tu, Iacobe, ossa, & cineres, sub duobus illis altaribus inventos, veri alicujus Martyris cineres veros, vera ossa fuisse demonstrabis? Falso etiam scribis sepulchra violata fuisse. Nam nullum sepulchrum læsum fuit: ex monumento Baronis Bernsteinij imagines tantum quasdam, & picturas exemptas fuisse testes oculati referunt. Secundo insignem facit Plessio injuriam Fabius, dum aperte mentitur illum sua manu regium

sacellum vetustis monumentis & donis expilasse. Notorium enim est, Plessium tum temporis in Palatinatu inferiori fuisse. Ad tertiam criminationem ita respondemus, Iacobe, nos sanctorum memoriam venerandā, & vitæ eorum sanctimoniam imitandam esse censemus: sanctorum vero invocationem, & cultum imaginū, ac statuarum & ossium venerationem sacræ scripturæ apertissime repugnare statuimus. Victoriam à Deo, Domino exercituum, esse, & hanc ab illo interdum etiam iis, quos suo tempore pro scelere eorum ulcisci velit, &, quo magis ex commutatione rerum doleant, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedi, multa sacræ & prophanæ historiæ exempla restantur. Iam ad alia progredimur subjicis, Iacobe, Pontificem à nobis invitæ liberalitatis argui, quam insulse? Primum tu videris, Iacobe, an liberalis recte dici possit, qui dat invitus. Deinde, non est, mi homo, nostrum, nec nostri instituti, Pontificem vel liberalitatis erga vos, vel tenacitatis arguere. Author narrat ea, quæ tempore Pauli Quinti hac in parte contigerunt, & plurimis nota sunt. Non fugit nos, Iacobe, vos etiam de exiguitate subsidij pecuniarij, quod Gregorius XV. non paulo prædecessore suo liberalior, vobis singulis mensibus subministrabat, Romæ non intra privatos parietes tantum, sed etiam per Cardinalium palatia clara voce conquestos fuisse. Non fugit nos, ab Urbano VIII vos, quantumvis maria, & montes, & totalem Protestantium Imperij subjugationē, promittentes, nihil aut parū hactenus obtinuisse. Quod Author responsionis hoc loco de novis ex Italia & aliunde scriptis dixit, ea nempe non pro certis, & indubitatis posita fuisse hoc Fabius more suo per paralogismum ad alias Responsionis materias transfert, & Authorem fateri, se etiam reliqua pro certis & indubitatis non scripsisse, evidentissime cavillando affirmat.

Caput

Caput Quintum.

FRustra Fabius Pag. 134. elabi, & lectorem à proposito abducere conatur. Hic enim non quæritur, quid Austriaci impetrarint, sed quid petierint, & quæ animorum abalienatio, & exulceratio ex prohibitione, aut restrictione exercitij Augustanæ confessionis in Austria nata sit. Horum sive odiorum, sive offensionum authores, & incentores appellat compilaror Vnitos, inprimis vero Directores. Contradicitur illi in Responsione, & semina, originem, ac scaturiginem illorum malorum unione longe esse vetustiorem ostenditur uti etiam verissimum est, ipsos Directores unionis minores natu esse, quam ut illis talium rerum culpa imputari possit. Ad hæc nihil respondet Fabius, sed inculcat illa, quæ hoc sexennio contigerunt, de quibus non in hoc capite proprie, sed alibi agitur. Interim verum manet, capita unionis non esse authores dissidiorum inter Archiduces & Ordines Austriæ. Porro vana fussa Schwendij oracula Fabius subjungit, nescius, quid serus vesper vehat, & quem tandem exitum persecutio & expulsio Evangelicorum in Austria progressu temporis habitura sit & novæ religioni limitem esse positum ait, id est, Lutheranæ. Quotus enim quisque in Austria reformatæ religioni addictus est?

Et pag. 135 affirmare non veretur Calvinistas in Austria bellum exitiale concivisse. Nomina, sodes Fabi, Calvinistas Austriacos. nemo nescit Reformatos nec exercitium publicum suæ religionis habuisse in Austria, nec rebus præfuisse, sed à Lutheranis, numero, viribus, & auctoritate superioribus dependisse. Ridicule vero Fabius Plessium Austriaci belli Cornicinem vocat. Nunquam ille in Austria fuit, nulli unquam Austriaco scripsit Motuum Bohemicorum eadem ratio est, quorum causa, & origo longe Unione etiam vetustior est. An justus fuerit Bohemorum dolor, an

justa præfidum sententia, discere potes, Fabi, ex dissertatione de causis motæ nuper Bohemiæ. Publica hominum doctorum scripta, in Responsione allegata, facilius est, Fabi, irridere, quam refutare. Facile est etiam effutire, Bohemos nulla injuria affectos fuisse, sed verba, & dicacitatem tuam rebus, & argumentis in dicta Dissertatione confutatam lector candidus reperiet. Pagellæ, sive brevis scriptiuncula de Cleselio, ex aula Cæsarea evulgata, multis bonis, & fide dignis viris ex Consiliariis statuum Unitorum visa fuit, & ex multis circumstantiis colligi potuit, authorem esse aulicum quendam, minime tamen religioni reformatæ, ut Fabius temere asseverare audet, addictum. Nec bona consequentia hæc tua est, Fabi: Cleselius tempore motus Pragensis erat in Hungaria. Ergo nullam Bohemis tumultuandi occasionem præbuit. Nam & nuper ex Bohemia discesserat, & ante discessum Bohemis tumultuandi causam præbere potuit. Nos tamen Cleselium non accusamus: verba illius scriptiunculæ allegamus, quorum fides sit penes authorem, rem ipsam in medio relinquimus. Alii sane scribunt Cleselium in ea fuisse sententia, ut motum Bohemicum mitioribus consiliis sedandum esse existimaret. Ultimum argumentum Authoris, ex ipsius Ducis Bavariæ scripto Apologetico Italico (cuius exemplar est in nostris manibus, & brevi fortassis lucem aspiciet) petitum, sicco pede transis, Fabi, simulans nihil tibi de eo compertum, & parva rei jactura, ut ais; sed magna sane jactura existimationis tuæ, & fidei apud lectorem, qui facile animadvertet, te sibi imponere velle, nec habere, quod ad argumentum respondeas. Tuoe Principis tui responsum vanas chartas appellare sustines?

Pag. 137 & seq. agit de Hungaris, & authorem responsionis hanc Camerinam imprudenter movere dicit, impudentissime more suo asserens Borschaium signum ferale, Heidelbergensibus bellicum canentibus, extulisse. Verum ex sequenti narratione lectori liquido constabit, quam Fabius

hac

hac etiam in parte sive graviter hallucinetur, sive malitiose calumnietur, Borschaius, ubi jugum, quod suis, et reliquorum Hungarorum cervicibus impositum esse indignabatur, sumptis contra Belgiojosium & Bastam armis excussisset, legatum in Germaniam Anno 1606 ad Fridericum Quartum Electorem Palatinum, aliosque Principes Protestantes, misit Ioannem Bocatium, patria Cassoviensem, sed origine Lusatum, hominem doctum, & Lutheranæ confessioni addictum, cum literis suis, & cum prolixa admodum, plurimisque sigillis munita Epistola Hungariæ Procerum, quibus illi insurrectionis suæ generalis (ita loquebantur) id est, armorum pro libertate caprorum, causas exponebant. Bocatium auditum Palatinus dimisit, recta ad Ducem Brunsuicensem Henricum Iulium, & ad Electorem Brandeburgicum, aliosque Principes vicinos proficiscentem. In itinere autem Bocatius Northeimii (quæ non libera, uti Fabius per errorem scribit, sed Ducis Brunsuicensis, privilegiata tamen, civitas est) detentus, & Pragam una cum omnibus, quas penes se habebar, literis, & mandatis, & in his ipso Electoris Palatini responso, deductus fuit, diuque cum carceris squalore, & incomodis (non sine ultimi etiam supplicii terrore, & periculo) conflictatus, tandem à Cęsarianis, metuentibus ne Hungari in captivum aliquem Austriacum fortasis eodem modo sævirent, dimissus, in superiorem Hungariam ad suos rediit. Etsi autem ex solicitudine Camerarii, & ex literis Anhaltini ad Palatinum, Fabius inferre conatur, Bocatium responsa Cæsari, Reique publicæ damnosa, Heidelberga retulisse: tamen frustra illum niti manifesto indicio est, quod Cæsar Rodolphus nullum offensionis signum edidit, nullum unquam verbum hac de re cum Palatino per legatos aut literas commutavit: id quod certe non intermisisset, si in Responso Palatini aliquid a Principis Imperii officio alienum deprehendisset. Quin imo ex nonnullis Cæsarianis postea auditum fuit, Electorum Palatinum in Aula Imperiali laudatum fuisse,

& commendatum à prudentia, ideo quod Botschaio magna cum moderatione & circumspectione respondens, sua apud Cæsarem officia, & preces, pro illo & Hungaris se interponere paratum esse significasset. Sed quid verbis opus est? Resolutio, sive responsum Palatini est in manibus Cæsarianorũ in Registratura, sive Archivo Pragensi; exemplum sive copia illius à vobis, Fabi, ut tu gloriaris, in Cancellaria Heidelbergensi reperta fuit: cur igitur responsum in forma non editis? Quid dubitatis, quid cunctamini? Quid credibilius est, quam responsum illud pro vobis non facere? Alioqui enim, tanquam probationem, & testimonium clarissimum, illud in lucem prodiffecetis, cum ad defendendam malam vestram causam, &, ut juris aliqua specie Palatinatum possidere videamini, omnia etiam minuta, & parum authentica vos studiosè conquirere, incrustare, interpolare, & lectorum oculis exponere, eandem etiam cramben decies coctam & recoctam apponere videamus. Si vultis itaq; calumniæ, & falsi suspicionem evitare, si fidem vestram apud lectores liberare, testar, ut candide, & bona fide, responsum, & litteras, quas Bocatius Heidelbergæ accepit, edatis. Camerarii, viri industrii, & vigilantis cura, & solicitudo laude potius, quam reprehensione digna est, nec ex mala conscientia Epistolam suam scripsisse existimandus est, ut pote qui tum temporis Wolfenbiteli esset, ignarus omnium, quæ cum Bocatio Heidelbergæ acta fuerant, sed fides erga Principem suum, &, quod sciret, quam facile, & quam audacter his exulceratissimis temporibus calumniari homines soleant, in causa fuit, cur sibi hac in parte vigilandum, & nihil negligendum esse existimaret. Cum Basta, & Belgiojosio nobis bellom non est, quæ inter illos, & Hungaros acciderunt, narramus. Quomodo Belgiojosius Cassoviæ grassatus fuerit, & quomodo Botschaius illum paulo post prælio, vicerit narrat Thuanus libro 131. Quod prælium cum in annum 1604, teste eodem Thuano, inciderit, Bocatius autem anno demum

mum 1606 à Botschaio Heidelbergam missus fuerit, ex eo lector æstimare poterit candorem, & bonam fidem Fabii, qui supra dixit, Botschaium signum ferale, Heidelbergensibus bellicum canentibus, exuisse. Sub finem Fabius ait, se & reliquos Iesuitas artem Machiavelli procul habere. Sed vix hoc credent Hungari, quibus artes Patris Pazmanni, & Alfonsi Carilli notissimæ sunt, nullo modo autem Hugonoti Galliæ, & Reformati Germaniæ: imo vix Lutherani, ac ne vix quidem ipse Doctor Matthias Hoe, hoc credent. Cum enim ille sibi aliud à vobis sancte promissum, aliud in Bohemia factum fuisse et fieri videat, vobis jure optimo occinere poterit: Tollat te, qui non novit.

Caput Sextum.

INfra in hoc Capite Author responsionis ad Cancellariam Anhaltinam expresse dicit, sibi non esse in animo de jure Regni apud Bohemos ex professo disputare: idem etiam nobis propositum est, ea tamen lege, ne Fabius ad sua argumenta, quæ hic adducit, nihil responsum fuisse gloriari possit. Regnum electivum sit Bohemia, nec ne, magnopere, Fabi, ad quæstionem in hoc Capite propositam facit. Regnum vere electivum ut ab Ordinibus Regni confertur, ita etiam ex causa adimi potest: & verum non est, ut tu ais, cum tale regnum non vacat, eligere non licere. Sive enim vacet regnū electivum, sive non vacet, eligere Ordinibus licet: quia ejus est ex causa adimere, cujus est dare: qua de re prolixe, & solide in Deductione Bohemica agitur. Locum à te ex libello de jure hereditario, & legitima successione Bohemiæ &c. impresso Antuerpiæ pag. 8 allegatum, quod attinet, verum est ibi recitari verba sequentia ex diplomate Friderici secundi: Volentes, ut quicunque in regem ab ipsis (nempe Bohemis) electus fuerit, ad nos, & successores nostros accedat, Regalia debito modo suscepturus, &c. Per illa verba

(subji-

id est, ante motus Bohemicos, & in ipso etiam fervore abdicationis & novę Electionis, non poterat Bohemia dici jure belli acquisita à Cæsare, qui tunc temporis non jus belli, sed electionis, unctionis, Coronationis allegabat. Sed videre mihi videor, quo bonus Fabius collimet, oppugnat nimirum divisionem hanc, & modum adquirendi regnum, vel principatum jure belli, & jure donationis perperam omissum esse contendit, nimirum ut Electoratum, nuper armis occupatum, & dono a Cæsare acceptum, à Principe suo justo titulo possideri eadem opera astruat. Sed de hoc titulo alibi videbimus.

Iam redeo ad divisionem authoris, quam probant vulgo I. Cti. & inter alios Besoldus Differt. Nomicopol. lib. 1. cap. 1. n. 3. ubi ita scribit. Monarchiæ constitutionem Politici Ordinariam faciunt, vel extraordinariam. Ordinaria illis est, per Electionem quæ fit, vel successionem. Extraordinariam vocant, armis quando populus aliquis subigitur, vel cum jure dotis, aut ex pacto, & fœderis jure, aut vero emptione, donatione, cessione, permutatione, &c. imperium alicui obvenit. At nos regni acquisitionem violentam à Reip. constitutione separandam esse docemus alibi, & quæ dotis, vel titulo simili alio Imperia comparantur, ad regna successoria commodissime referri possunt. Hactenus Besoldus. En tibi, Fabi, supra positæ divisionis approbationem, explicationem, & confirmationem. Eandem divisionem ponit, & approbat Casparus Ens L. in Principis Consiliario pag. 65. sub finem, ubi ita scribit. Hodie Principatus aut hereditarij sunt, aut matura, ac bene deliberata electione dantur. Nec obstat, quod dicis alicubi, jus hereditarium & jus Electionis commisceri posse, si electio laxiori significatu accipiatur. Nam primum, Author Responsionis, quando Electionem juri hereditario opponit, & posito uno tolli alterum affirmat, De electione, proprie ita vocata, loquitur. Deinde, cum Electio in aliquo regno vel Principatu ad cer-

I tam

tam quandam Domum restringitur, nihilominus Electionem aliquid prævalere, nec de jure tolli libertatem eligendi, licet electio ad certum hominum genus restringatur, docet Besoldus Dissertat: Nomicopol: lib. 2. dissert. 1. n. 18. Et ita subsistit firma, ac valida superior divisio, frustra illam Fabio impugnante. Pag. 149. ait Fabius, quod de Polonis, Casimiro, & Sigismundo profertur, Authorem responsionis evertere. Respondemus, Nihil minus. Nam Casimiro, regnum uxoris nomine, & jure successionis petenti, per electionem Georgius prælatus fuit, id quod aperte pro Authore, & contra Fabium facit.

De Galliæ rege, Carolo 7. vere dicit Author, illum per legatos unum ex filijs, aut illum, cui filiam desponsurus esset, ab Ordinibus in regem eligi petijsse: nec valde probabile est illum juris Bohemici plane ignarum fuisse, nec de eo, cum filiam Ladislao desponderet, edoceri voluisse. Quod vero Casimirus Polonus, & VVilhelmus Saxoniæ Dux, Bohemiam ad se jure successionis pertinere dixerunt, inde non sequitur regnum hereditarium fuisse, cum Ordines neutrum illorum admiserint, sed Georgium elegerint. Quamvis etiam post Georgij mortem Vladislaus Polonus, ex Elizabetha Ladislai sorore natus, regnum adeptus sit, tamen eum regem factum fuisse non jure successionis, sed per Ordinum Electionem, inde evidens est, quod, si ex jure hereditario ad quenquam Corona post mortem Georgij pertinuisset, illa non liberis & heredibus Elizabethæ, cujus filius erat Vladislaus, sororis natu minoris, sed Annæ, sororis Ladislai primogenitæ, heredibus adjudicanda fuisset. Cum igitur nec ante Georgium Annæ, & Elizabethæ, & maritorum earundem ratio habita, sed Georgius electus fuerit, nec post Georgij mortem Anna primogenita soror Ladislai, vel ejus heredes ex jure hereditario admissi sint, sed Vladislaus Elizabethæ junioris sororis filius ab ordinibus vocatus, & in regem electus fuerit, evidentissimum est utroque hoc casu

juris

juris hereditarij nullam rationem habitam fuisse. Nec multi ponderis est argumentum Fabij, quod ex verbis Dubravij: at rex Gallus non jure, aut ambitione prensabat: elicere conatur. Nam eorum verborum sensus est: Rex Galliæ non jure prensabat, id est, non allegabat ullum jus, quale Casimirus Polonus, & Wilhelmus Saxo allegabant: sed inde non sequi, regnum fuisse, aut esse hereditarium, supra ostendimus, quippe cum, rejecta Poloni, & Saxonis petitione, Ordines Georgium elegerint. A Pio vero secundo regnum Bohemiæ Matthiæ Corvino collatum fuisse apud historicos invenitur. si ab alijs Paulo secundo, hoc attribuitur, forrassis à primo initium factum, à secundo denuo prædecessoris concessionem confirmatam fuisse, inde verisimile fit, quod historici scribunt Fridericum tertium Imperatorem, quo in Austria degente Matthias Corvinus cum Georgio de regno Bohemiæ certaverat, post mortem Georgij se contulisse Romam, ubi Paulus secundus Pio paulo ante successerat. Sanè hoc non est ejus momenti, ut de eo cum Fabio digladiari operæ pretium sit. Wilhelmi Bavari exemplum ex Iovio allegari iniquo fert animo Fabius, & parum abest, quin, ut supra Thuanum, ita hic Iovium de gradu dejiciat. Abdicato rege, Bohemi se regnum vacans Palatino offerre dixerunt: ille oblatum accepit. De jure abdicationis, & novę Electionis in Deductione Bohemica disseritur, nec illa quæstio adhunc locum propriè pertinet. Vngari, & Poloni nunquam illud regnum jure sanguinis capessivere, sed jure electionis, ut supra dictum fuit, cujus nomen Iovium, scriptorem accuratum, & rerum peritum, & qui etiam Vngariam viderat, decepisse nec credibile est, nec sine injuria Jovij dici potest. Tegnagelij cōfessio, & depositio scripta extat, cui hanc suam sententiam de libera Electione Bohemorum, & Provinciarum incorporatarum occasione alterius cujusdam materiæ inseruit, quam etiam plane omittere potuisset, hac de re à Bohemis non interrogatus, multo minus vi, & minis adactus.

Electionem gratulati sunt Ferdinando C. sine dubio alij etiam principes præter Wolfgangum VVilhelmum Næoburgicum, sed hujus Epistola, quod titulum Electi in regem Bohemiæ præferret, rejecta fuit: id quod indicio est, titulum illum de libera electione à rejicientibus, non autem de electione intra sanguinem restricta, intellectum fuisse. Cur enim alias epistola rejecta fuisset? Rejectio hæc te, Fabi, latebat, & ideo de alijs interrogatus de cœpis respondes.

Pag 152. asseris nihil absurdi inde metuendum, quod Bohemis jus eligendi denegarur, quandiu ex Carolo 4. & ejus descendentium stirpe aliquis superstes erit. Hereditatem enim ad infinitos non vagari, & plurimas familiarum funditus interijsse, certos etiam esse successorum limites. Nos respondemus & fatemur, jure civili certos terminos succedendi constitutos esse, & cognatos ad succedendum admitti usque ad decimum gradum. Sed hic alia ratio est, ubi vos dicitis incolis regni Bohemiæ jus electionis competere in casu duntaxat, & eventu (uti habent verba ipsius Caroli quarti) quibus de genealogia, & semine prosapię regalis Bohemiæ nullus masculus vel femella superstes fuerit. Nec ad rem pertinet, quod de interitu plurimarum familiarum allegas, Fabi. Nam familia Caroli quarti jam pridem extincta est. Familiæ nomine apud Iurisconsultos feminæ, & ex feminis descendentes non comprehenduntur, Vivius lib. 1. Decis. 10. Notum est vero, quam late genealogiæ regum, & Principum vulgo extendantur. Et si quis vel millesimo gradu reginam Annam, regis Ferdinandi primi conjugem, à Caroli quarti nepte, & Sigismundi filia descendentem, attingeret, ille certe non posset non dici esse de Genealogia Caroli quarti, & secundum vos esset ad successionem regni admittendus. Unde apparet secundum intellectum, quem vos Aureæ Bullæ affingitis, in effectu frustratoriã, & inanem esse, Regnicolis in casu Vacationis concessam eligendi potestatem.

Quod

Quod pag 156 ait Fabius: Palatinum scivisse alium Electum, & alienum esse quod Bohemi offerrent, ad hoc supra respondimus. Dolum bonum Palatino fuisse, ut tu loqueris, Fabi, probare necesse non est. Ineptus Iurisconsultus es, quia notissimi juris est etiam propter levissimam, imo fatuam causam aliquem à dolo malo excusari, nec aliam probationem ab illo requiri. Fatemur, posse Cæsarem Principem Imperij, alios fortunis suis exturbantem, proscribere, sed cæteris paribus, id est, causa cognita, juris ordine observato, & Electoribus non inconsultis. Horum nihil debito modo in Electoris Palatini causa factum plurimorum opinio est. Accedit, quod in causa privata, & propria nec regem, nec Cæsarem, nec ipsum Papam judicem esse naturalis æquitas, & ipse sensus communis patitur. Cęsar autem Cæsar manet, etiamsi in propria causa non judicet, uti Sigismundus Cæsar non desiit esse Cæsar, etiamsi in Causa propria nollet judicare, sed illius cognitionem ad status Imperii remitteret, uti refertur in Responsione ad C. A. par. 2. in observat. n. 9. Rex Poloniæ nullum ex Proceribus, nullum ex nobilitate regni, quantumvis gravissimè læsus, extra Comitia proscribere potest: in Comitiis à Senatoribus regni causa necessario cognoscenda, & de eorum sententia proscriptio promulganda est, & tamen propterea non desinit esse Rex, & quidem Rex longe potentissimus. Elector ergo Palatinus deterioris conditionis fuit, quam gregarius aliquis Poloniæ nobilis. Loco, paulo ante ex Responsione ad C. A. allegato, demonstratur etiam discrimen inter Cesarem, & Archiducem non futile, ut tu effutis Fabi, sed in jure, & exemplis fundatum esse: idem fit in observationibus in Lituram tuam consid. 7 pag. 42. cumque Iurisconsulti duplicem in Cæsare personam considerent, sequitur injuriam, si quæ Cęsari infertur, duplici etiam, & diverso respectu considerandam esse, & proinde, quæ tu de Iudæis subnectis, Iurisconsultis (quibus te annumerare publice audes) ridicula sine dubio videbuntur

buntur. Sed hic nobis occurri, & quæri posset: Quid faceret Cæsar, spectaretne otiose Palatinum in Bohemia rerum potientem? Respondemus. Cæsar prælio victor Bohemiam occupaverat: Palatini, & Bohemorum vires prostr.verat: quæ hic necessitas accelarandi processum banni, & sententiam, inconsultis Electoribus, juris ordine non observato, festinanter & quidem in propria causa pronuntiandi, ac publicandi? Quid obstabat, quo minus ad imitationem Sigismundi, in causa propria & privata Ordinibus Imperij cognitio deferretur, aut saltem, quia de proscribendo Electore Imperij agebatur, Electorum judicium, ac sententia exquireretur? Scimus à vobis, Fabi, causas festinandi allegari, sed quæ hominibus veritatis amantibus non satisfaciunt. veras à vobis silentio premi, quia vos earum pudet, non dubium est. Porrò regni Bohemiæ hanc conditionem esse ipsi Bohemi publice profitentur, ut Regem quidem suum publici boni causa supra se, at non supra leges à se efferri agnoscant. Bohemia Imperatori, ut Imperatori, nullo modo. Imperatori, ut regi suo, tantum subdita esse potest. suas leges habet, secundum suas leges judicari debet. legibus Imperii, & constitutioni de banno non subjacet. In hoc negotio Fabius negat sententiam dictam in regem Bohemiæ, sed in usurpatorem regni, id quod tamen à Palatino, & Bohemis negari, & adhuc in legitimo judicio nondum decisum esse, sæpe diximus. Armis, Fabi, tales controversias legitime non decidi certum est, & populos liberos, armis in servitutem redactos, armis iterum in libertatem vindicari posse recens exemplum Rhætorum docet. Ex hypothesi etiam Fabius sua ait Auctorem ridiculum esse, opinantem superioris potestate non posse eum proscribi, qui solum vertit, atque in ditione alterius degit. Sed ipse Fabius revera ridiculus est, & à sensu Authoris aberrat, qui certe non dicit à superiore proscribi non posse illum, qui solum vertit, & in alterius ditione degit, sed dicit propter delictum, in Suecia, Dania, aut Gallia patratum,

non

non posse aliquem ritè in bannum Imperij declarari, quia constitutio de banno refertur propriè ad ea, quæ in Imperio patrantur. Locum & disquisitionem de libertate Regni Bohemiæ conclusuris nobis hanc conditionem libet ferre Fabio, ut duo præstet. Prius est, ut ex Gallia, Hispania, Anglia, aliove verè & mere hereditario regno, proferat exemplum recognitionis, sive litterarum reversalium (ut vulgo vocantur) quales Matthias, Hungariæ rex, Bohemis ipsum successorem regni post mortem Rodolphi designantibus dedit, nimirum designationem hanc liberæ Ordinum voluntati totam acceptam ferens, & nunquam hanc in præjudicium veteris eorundem liberæ electionis allegari debere solenniter testificans. Posterius est, ut ex iisdem regnis hereditariis exemplum exhibeat talium rescriptorum, sive diplomatum, quibus superiores Bohemiæ Reges, quantumvis defunctorum regum filij, à statibus solenniter electi, iisdem Electionem sui acceptam ferunt, & hoc solenni diplomate fatentur. Hujusmodi diplomata in Archivo Ordinum Bohemiæ asservantur. Pag. 158. Fabius ingreditur in disputationem de providentia divina, sed errat in ipso limine, dicens Authorem Responsionis horruisse suum sermonem. Cur enim horruisset? Dixerat constare ex sacris litteris, hujusmodi pœnas, & calamitates, quibus totæ provinciæ affliguntur, non casu evenire, nec hominum arbitratu, sed ex certa Dei omnipotentis providentia, ac dispositione, immitti; Quod certe nemo, qui vel prima religionis Christianæ principia didicit, negare potest. Nec hinc sequitur, Deum à nobis statui authorem peccati, uti Fabius calumniatur. nec verum est ab authore Responsionis Deo imputari culpam perniciosorum motuum in Bohemia, ut Fabius itidem falsò asserit, aut aliarum vitiosarum actionum, quæ merito hominibus ascribuntur. Nam sicut in generatione animalium causæ cœlestes agunt una cum inferioribus, & si aliquis defectus intervenit, ille non causis cœlestibus, sed inferioribus, & malæ dispositioni

fitioni materiæ imputatur: Ita in actionibus voluntariis; quamvis Deus illas moveat, & sustineat, tamen si aliquid vitij accedit, illud imputari debet pravæ voluntati hominis, non Deo. Tu stolide, Fabi, præsupponis actiones Palatini vitiosas, & furiosas esse, vestras autem omni labe, & vitio carere. Nos repetimus id, quod supra diximus, si quid vitij actionibus humanis inest, non Deo hoc, sed pravæ hominum voluntati imputandum esse, manente tamen vera, ac firma hac maxima omnes actiones humanas per providentiam divinam gubernari, & dirigi. Subjungit Fabius, Thuanum more historici exspatiantis philosophari loco allegato: id quod inditio est illum Thuanum non inspexisse. Alioquin enim vidisset verba allegata non esse Thuani, sed primatij cuiusdam consiliarij regis Galliæ, in senatu sententiam dicentis. Fatetur ibidem Fabius, Deum interdum Martem pro flagello versare: sed quid hoc aliud est, quam Deum per belli calamitates homines punire, ut dicit author Informationis, quem Fabius sine causa reprehendit? Erasmum Roterodamum pro sua mordacitate Fabius etiam pungit, & ejus testimonium, atque authoritatem elevat in re, quæ apud sanos, & æquos lectores omni controversia, & reprehensione caret.

Pag. 161. authorem informationis quam recte Fabius impietatis accuset, ex supra dictis patet. Author ascribit Deo secundum sacram scripturam calamitates belli, quibus populos complures his superioribus annis propter peccata juste punivit, & etiamnum hodierno die punit: nefandam in Imperio (ut Fabius fingit) turbam nullo modo: sed illam causis secundis, & pravis actionibus hominum tribuit. Fabius suos Bavaros, & reliquas Ligistas cum socius ab omni vitio, labe, & crimine in toto hoc bello Bohemico, & Germanico immunes, ac puros esse: Bohemos cum rege Friderico, & plerosque Unitorum cum suis consiliariis solos peccasse arroganter contendit, motuumque Bohemicorum causam Palatino, eiusque consiliariis imputandi nullum facit finem, sed

falsi

falsi & vanitatis eum dissertatio de causis nuper motæ Bohemiæ apertissime convincit. Ius electionis & abdicationis Bohemis competere, in ipsorum deductione multis rationibus, & argumentis demonstratur: & ita quod Fabius de prędа & raptu dicit, plane est sumere pro confesso id, quod in quæstione est. Nec vera est generalis illius propositio, nullam posse esse legitimam electionem, ut ego legitime electo succedam. Patitur enim hanc exceptionem, nisi legitime electus justis de causis legitime fuerit abdicatus, sive remotus: ut Wenceslai Cęsaris, Christierni Dani, Henrici tertii Galliæ & Poloniæ regis, & aliorum exempla restantur. Iustas vero abdicationis causas se habuisse, in eadem Deductione & aliis scriptis prolixe Bohemi demonstrant.

Cur autem pag. 161 negas, Fabi, super jure, & libertate regni controversiam inter nos, & Austriacos natam esse? Cur item negas, Bohemos pro religione & libertate arma cepisse? Nonne Cæsariani Francofurti, cum de Electione Palatini nuntius adferretur, dicebant Domum Austriacam hoc regnum semper pro suo patrimonio habuisse? In sententia banni, & in propositione Ratisbonensi non accusatur Palatinus cum suis consiliatus (ut tu Plessium falso, & inepte hic traducis) quod ipsi senatores Imperiales dignitate exuerint, Cęsari fidos regno ejecerint, & alia, quæ tu in hoc libro imperitè illis objicis, qui procul à Praga, cum talia acciderent, vivebant, Horum, inquam, non accusatur Palatinus: sed accusatur propter acceptam Electionem Bohemorum, & dicitur hanc ipsis nullo jure competiisse, nec Bohemos Coronam ad alium spectantem Palatino de jure offerre, nec illum oblatam accipere potuisse.

Quo pacto igitur negare potes, Fabi, de libertate Electionis controversiam fuisse? Cur etiam circa illud tempus editus fuit libellus de jure hereditario domus Austriacæ, si inter illam & Bohemos de libertate Regni nulla fuit controversia? Notandum autem est, Fabium hoc loco lingua, sive ca-

lamo mentem præcurrente, asserere Cæsarem à Bohemis electum fuisse, & petiisse id, quod ex electione ei debebatur. Atqui nos semper audivimus, Austriacos nullam Electionem agnoscere, nec se Electos, sed assumptos dici velle. Noli cavillari tam apette, Fabi, in interpretatione verborum: Adhuc sub judice lis est. Falsum est, Calvinistas sibi solis jus Electionis asserere: constat illud tempore ultimæ Electionis præcipue in manibus Lutheranorum & Hussitarum fuisse. Tu vero egregie te putas ad aliquod argumentum respondisse, cum Calvinistis illud ascribis: hoc tibi sufficit, quantumvis mutato nomine fabulam narres de Lutheranis, quos non audes offendere. Nunquam tibi Bohemi concedent, se ius, quod habuerunt, rebellione amisisse. De fuga Bohemorum & de aliis, quæ per insultationem, & sarcasmum illis objicis, nos nolumus tecum litigare: nec fortassis ipsi Bohemi illa digna responsione judicabunt.

Pag. 163 petit Fabius ab authore informationis, enarrationem factorum Cleselii, quæ tumultum excitaverunt. De scriptiuncula, de Cleselio supra diximus: Est brevis, & succincta: multi ex Unitis illam viderunt, ad quorum testimonium provocamus. Postea, chorda semper oberrans eadem, negat præsides injuriam fecisse, sed passos: injurias illas speciatim explicat author dissertationis de motæ Bohemiæ caussis, si non ad tuum gustum, Fabi, nihil refert.

Pag. 164. § in Hungaria &c. Fabius ait Betlemium debuisse regem suum observare, &, quæ subjecti Principis sunt, Regi suo præstare. Sed rectius faceret, si ipsi Principi regem suum commonstraret, & illum officii sui admoneret. Legationem Plessii Ungariam inquietasse, putidæ vanitatis est dicere. Multo ante & Hungari, dominationis Austriacæ pertæsi, Constantinopoli exposuerant se Regem ex suo sanguine expetere, & auxilium illis promissum fuerat: multo ante Princeps Transylvaniæ se cum Ungaris conjunxerat: multo ante ille, Hungaris adjutoribus, in Austriam irruperat, castra

ſtra prope Viennam poſuerat multo ante, inquam, hæc omnia evenerant, quam Pleſſius unquam pedem poneret in Hungaria, quam tamen à Pleſſio inquietatam fuiſſe Fabius tam protervè publice ſcribere non erubeſcit. Fraternitatem deinde, & paternitatem inter Palatinum, ac Gabrielem, Principem Christianum, tanquam grande nefas, criminatur. immemor, ſive, quod probabilius eſt, ignorans olim, Sigiſmundum Poloniæ Regem à Sultano Solimanno rege Turcarum fratrem appellatum, & inter Cæſarem Rodolphum, & Amurathem Imperatorem Turcarum, patris, & filii nomen mutuo uſurpatum fuiſſe. Ungari ex confœderationis formula Bohemis auxilia miſerunt: rationes facti ſui ipſi reddere poterunt. Acerbe Ungaris infelicem prælii Pragenſis ſucceſſum, & cladem acceptam objectas, Fabi: ſed meminiſſe debebas eoſdem paulo poſt ad Neuheuſelium ipſum Bucoium, fortiſſimum, & ſummæ experientiæ Ducem, occidiſſe, & exercitum victorem, perpetuis incurſionibus, & velitationibus fatigatum, in tantas anguſtias redegiſſe, ut, ſoluta obſidione in loca paluſtria compulſus, majore impedimentorum, ac tormentorum, magna etiam militum parte amiſſa, vix turpi fuga ſibi conſulere potuerit. Nonne poſtea ad Godingam in finibus Moraviæ Marchio de Montenegro cum copiis, quibus imperabat, primo ſtatim impetu repulſus ab Hungaris, & veluti indagine ita circumdatus fuit, ut ad humanitatem Principis Tranſylvaniæ recurrere, & ſuam, & exercitus incolumitatem ab ipſo precibus impetrare coactus fuerit? Cæterum quid tu, Fabi, Palatinum Electorem taxas pag. 168. quod caſtri Stam reſtitutionem urſerit ante, quam in inducias conſentiret. Putaſne tale aliquid inter belligerantes adeo inuſitatum eſſe? Nonne licet unicuique legem contractui dicere, & conditiones adjicere, cum in arbitrio alterius partis ſit illas accipere, vel rejicere? Quis item ſatis ſanus reprehendat eundem, quod interim, dum incertum erat, an de induciis inter partes conventurum eſſet, conquiſitioni mili-

K 2 tum

tum renunciare noluerit? Num hoc absurdum, vel iniquum erat, cum parti adversæ eadem libertas relinqueretur? Per Baronem Digbyum rex magnæ Britanniæ vobis animum suum, pacis amantem, & candoris plenum, optima fide ostẽdit: Vos Digbyo, nomine sui regis amice ex vobis, num res integra ratione Electoratus Palatini, num liberæ Cæsaris manus, nec ligatę essent, quærenti respondistis: omnia esse integra, Cæsarem liberrimas manus habere: promissionem Electoratus Palatini, per solenne Cæsareum diploma vobis factam, tanto regi fœde imponentes, dissimulastis. Regem Daniæ quod attinet, rectius fecisses, si ea, quæ hic denuo de eo effutis, tacuisses. Sero, ais, & frustra se arbitrum pacis professus est. Condemnas ergo imprudentię magnum illum regem, condemnas imprudentiæ Electorem Saxoniæ, qui nequaquam legationem hanc intempestivam, aut seram esse judicavit, ut supra etiam diximus. Quæris, an Elector Palatinus semel animum demiserit? Demisit, Fabi, sæpius, seque ad debitam submissionem obtulit per litteras suas ad Electores Saxoniæ & Brandenburgicum, ad Ducem Wirtembergicum, & alios Principes. Obtulit se ad eandem submissionem nomine Palatini ipse Rex magnæ Britanniæ per litteras ad Cæsarem, plenas benevolentiæ, officij, & studii erga Domum Austriacam, scriptas Roistonæ 12 Novembris Anno 1621. Nec verum est, Calvinistas, id est regem Fridericum, & eos, qui ipsius causam amplectebantur, post prælium Pragense pacem habere potuisse, si eam ferre potuissent. Cur enim vos post prælium Pragẽse, occupata jam Bohemia, cujus invasio pro fũdamẽto sententię banni substruitur, proscriptionem Palatini publicastis? An non hoc certissimo argumento erat, vos Regno Bohemiæ non contentos, de Palatinatu etiam occupando, & dignitate Electorali rapienda cogitare? Pac em igitur poterat Palatinus eo tempore habere id est, armis abjectis, & omni se & sua, quę reliqua erant, defendendi consilio deposito, deprecari, causam suam condemnare,

nare, vestro omnia arbitrio permittere. Hanc tu pacem, Fabi, appellas: quam omnes exteræ nationes,& priscæ libertatis, ac dignitatis amantes Germani servitutem sine dubio, & merito appellassent.

Caput Septimum.

PAg. 171 & seqq. rigidum admodum examen instituit Fabius eorum, quæ Author Informationis hoc capite pro Epistolæ, à Plessio Norimberga ad P. Anhaltinum scriptæ, defensione adduxit. Initio ait nihil referre, quo tempore epistola exarata fuerit, sed referre, quid scriptum sit. Nos vero, Fabi, ex Cicerone discimus temporis esse vim maximam. Incidunt sæpe tempora (ait Cicero) cum, quæ maxime videntur digna esse justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus,commutantur,fiuntque contraria. Et paulo post: cum tempora commutantur, commutatur officium,& non est idem, &c. Iam quæ tempora fuerint, cum conventus Norimbergensis indiceretur, neminem fugit. Cum ergo in eo essent Unionis & Ligæ exercituum Duces, ut propemodum ad manus venturi esse viderentur, quis vitio vertat Plessio, si in illum casum & eventum aliquid de Unitorum copus, per Pontificiorum terras distribuendis, & aliquandiu alendis, scripsit? Malè ergo ait Fabius, voluisse Plessium hostem fieri, antequam Ligistæ essent. Aperte enim de eo casu, si ad manus deventum, & hostilis invasionis initium factum fuisset, Epistola agit. Plessium in Cæsarem Bohemos irritasse, & Martis artes docuisse, simpliciter negatur, & alibi etiam dilutum fuit. Quas verò terras ille excurrit, Fabi, ut tu inquis? Ubi Bellonæ thura cremavit, pacatorum animos inflammavit? Quomodo hoc probas ex hac epistola? in qua huiusmodi rerum nulla fit mentio. Epistolam familiarem esse nemo negare potest. & similia eodem tempore ab aliis etiam ad alios Norimberga scripta fuisse quis dubitet? Ubi

vero in hac Epistola rudes belli scientia adversus regem suum imbuuntur? Ubi fit regis mentio? Talia blateras, Fabi, cum tamen ad hanc Epistolam omnino non pertineant. Anhaltino odiose labores, & itinera sua exprobas, refricans ea, quæ Cæsar oblivione se delere, & condonare dixit, ut fama est. Libertas porro sua Protestantium Statuum consiliarius, Deo juvante, sarta tecta, rumpantur ut ilia mulus, permanebit. Scribite vos, Fabi, sed absint calumniæ, & convitia: his utuntur plerumque, qui malam causam fovent. Si vos, uti cœpistis pergeretis, cogemur & nos durius vobiscum agere: inviti tamen hoc ipsum faciemus, & ita, ut nos in defectu, quam in excessu peccare maluisse ab omnibus facilè intelligi possit.

Pag. 173 conatur Fabius probare, Plessium de totali, & communi Ecclesiasticorum oppressione loqui. Probationis loco adducit verba Epistolæ, per quæ mentio fit Bavari à quibusdam Episcopis separandi, ut cum reliquis libertas sit. De qua libertate vero in hac Epistola agitur? Nonne eo respicitur, ut in eventum Copiæ in eorum ditionibus aliquandiu ali possint, si nimirum (ut inter sibi invicem diffidentes, & suspectos, atque armatos facillimè contingere poterat) ad manus veniretur. Quid, quæso, Ligistæ hoc tempore faciunt, exercitus suos Protestantium inermium, & qui nulla illos injuria affecerunt, cervicibus, imponentes? Palatino etiam verti vitio non potuisset, si cum Bavaro paciscendo ab Ecclesiasticis quibusdã illum separare laborasset: & licite hoc fieri, exemplum pacti Moguntini, & Aschaffenburgensis, quo Unio partim à Palatino, partim a se mutuo separati, ac divulsi fuerunt, demonstrat. Pag. 175. Fabius non valens Plessium ex sua Epistola convincere, recurrit ad litteras Comitis Solmensis, mortui ante biennium. Sed ex verbis Comitis, nempe vota eo inclinasse, ut omnes de gravaminum compositione desperarent, & ideo spem omnem fere in effectu repositam esse existimarent, non sequitur re ipsa belli denuntiationem decretam fuisse. Hac enim de re Uniti amplius deliberandum censuerunt.

Sequen

Sequentia etiam verba Comitis aperte ostendunt, delibera-
tum quidem in eventum de bello, sed nihil certi statutum,
imo conclusum fuisse: ad Cæsarem, & Ducem Bavariæ ante
omnia legatos mittendos esse. Postea ait Comes in iisdem
litteris: Interim defensionem talem instituendam, ut omnia
parata, & ad manum sint. Videsne, Fabi, illum de defensione,
loqui, belli decreti nullam mentionem facere? Subjicit Co-
mes: In thesi (id est, exiguam spem compositionis superesse)
omnes convenire: in hypothesi (id est, an eo tempore, &
quomodo aliquid contra Pontificios tentandum esset) inter
unitos non facilè conventurum. Ubi hîc, Fabi, decretum
belli, ubi belli denuntiatio, ut tu clamas? Præterea in litte-
ris, triduo post scriptis, Comes superiora repetit; dicens in
particularibus, sive in hypothesi, summas se difficultates of-
ferre, & ideo decretum, ad rationes audiendas & examinan-
dus accedendum esse; nullum verbum de belli decreto, mul-
tò minus de denuntiatione ibi invenitur. De parte copiarū,
in eventum, in vicinorum Ecclesiasticorum terris hybernan-
di causa collocanda, nihil certi statutum, sed Electoris Pa-
latini, Marchionis Ansbacensis, aliorumque statuum Unio-
nis Lutheranorum disquisitioni, & deliberationi hoc reli-
ctum fuit. Calvinisticam militiam vocat Fabius Unionis exer-
citum, qui totus fere ex Lutheranis constabat. Ductores
etiam erant Lutherani, paucissimis exceptis. Quis ergo non
videt hæc à Fabio pessima fide in odium, & invidiam Electo-
ris Palatini, & paucorum aliorum Reformatorum odiose ita
poni? Conventui Normbergico bellum placuisse nunquam
concedent Ordines, & legati, qui huic interfuerunt; non i-
gnari, omnia prius experiri, quam armis sapientes decere.
Ligistæ in copiis augendis strenue pergebant, hostilemque a-
nimum renudare non cessabant. Unitos ergo in eventum
merito etiam sibi consilium capere potuisse, extra dubium es-
se videtur. Quæ de formidabili Bavari exercitu in Suevia,
& de pace, animis trepidantibus, & metu labantibus ab eo-
dem

dem data, Fabius jactat, illa Marchionem Ansbacensem Ducem Wirtembergicum, & reliquos Vnitos, eorumque consiliarios, qui tractatui Vlmēsi interfuerunt, principaliter concernunt, quibus non deerit, quod ad Fabii inflatam narrationem respondeant.

Pag. 179 criminatur Fabius, quod Plessius Gallice scripserit ductus amore erga Hugonotos, ut ipse somniat: quod quale argumentum sit, nemo non videt. Suavis porro est, dum magno conatu magnas nugas agit, id est, Plessium in suspicionem & odium apud Vnitos adducere laborat. Plessius, Fabi, Unitis notus est inde usque à plurimis annis, & nemo ex illis facile hanc periodum in malam partem accipiet, aut tuæ calumniæ fidem adhibebit. Non enim ille scripsit, ut tu fingis, metuendum esse, ne quidam Vnitorum argenti summas, communi Vnionis ærario promissas, suæ peræ ingerant. Sed hoc tantum innuit, fieri posse, ut status, in Epistola nominati, propriæ defensionis ergo militem conscribant, & postea expensas illas à quotis suis, sive summa, communi ærario inferenda, deducant. Verebatur ergo Plessius, ne pecuniæ nervus, communi totius Vnionis exercitui alendo destinatus, per particulares delectus exhauriretur: id quod sine cuiusquam injuria ab illo scribi potuisse nemo non intelligit. Frigidæ Fabii responsioni, qua pag. 161 omisionem nominis gubernatoris Nanceii excusare voluit, immorari non libet. Pag. sequenti taxat ea, quę ab Authore pro defensione Plessii adducta fuerant. Dixerat inter cetera, Plessium invitum legationem ad Bavarum suscepisse nimirum, ut occurreret criminationi Compilatoris, qui passim Plessium authorem, & velut ergodioctem consiliorum suæ partis vocat. Negavit itaque Plessium se ingessisse, & addidit, illum etiam in alia sententia, quantum ad instructionem attinet, fuisse, cuius rei multos habet testes, & ad protocolla etiam provocat. Nulla vero hac in parte injuria fit Principibus, & reliquis Vnitis, qui legatos miserunt, & qui

omnes

omnes Plessii mentem optime perspectam habent, nec dubitant ipsi nihil aliud propositum fuisse, quam ea dicere, & facere, quæ Vnitis utilia esse, & ad tuendam eorundem existimationem pertinere existimaret.

Pag. 186 affingis, Fabi, Authori, illum dixisse Compilatorem esse Hungarorum subsannatorem. In responsione Germanica pag. 62 invenies hæc verba: *der* Compilator *machet sich bey diesem Puncten auch lustig damit &c.* id est. Compilator hoc loco jocatur sive hilarem se præbet &c. nullum ibi verbum de subsannatione; quanquam, si verum dicendum est, quis non videt verba Compilatoris sarcasmum redolere?

Absentem vero Principem vestrum cum exercitus flore, ita tamen Bavariam, regionem late patentem, & paucissima loca paulo munitiora habentem, necessario ad defensionem milite munitam reliquisse, ut ab incursione Ungarorum nihil periculi metuendum esset, discipulis tuis, & contubernalibus facilius Fabi, quam hominibus rei militaris, & locorum peritis, opinor, persuadebis.

Pag. 192 Fabius cavillans fingit ab Authore mortuos testes appellari. Verum non provocat ille ad manes Haslangi mortui, sed ad testimonium eorum, qui vivo Haslango, ea quæ narrantur, humanitatis officia præstari viderunt. Neque enim aut in tenebris, aut in angulo, sed in multorum conspectu hæc facta sunt. Nulla porro ratione accusari potest Plessius, quod ex captivitate non liberaverit Haslangum, qui non modo non in Plessii, sed ne quidem in ipsius regis Friderici potestate erat. Logice postea Fabius agit contra Authorem responsionis, & Plessio bonæ arboris nomen non convenire probare conatur. Atqui assumptum suum Author non tantum unico hoc beneficio, (non sane levi, ut Fabius innuit, sed pro ratione temporis & loci eximio) in Haslangum collato, verum multis etiam aliis integritatis, & probitatis, toti Vnioni notissimis, exemplis, si necesse esset, facile probare posset. Quæ paulo post Fabius de Plessio subnectit, nimirum quod

plores pestilenti calamo ad rebellionem incitaverit, noxia Reip. consilia suggesserit, perniciosas in publicum legationes obierit, illa omnia, & singula negantur, & passim à nobis in hoc scripto diluuntur.

Pag. 194 Fabius ait, Authorem iræ impetu effudisse illa, quæ pro defensione Plessii, per modum retorsionis, contra authores injuriosi tituli in medium adduxit. Huius litis, quæ nec Compilatorem, nec Fabium ullo modo tangit, se participem Fabius facit, & probroso versiculo Plessium mordere non veretur. Mirabamur antea tot versus passim, præsertim in Litura sua, fundi à Fabio, qui I. Cti nomen, lectoribus imponens, sibi sumit, sed jam mirari desinimus, postquã litteratorem, & Iesuitici Collegii regentem esse pro certo comperimus.

Pag 195. & 196 Fabius putat ab Authore parum prudenter nonnulla ad demonstrandam Plessii innocentiam narrari. Compilator dixerat, Plessium esse unum ex præcipuis auctoribus, consultoribus, & instigatoribus negotii Bohemici. Author responsionis allegat speciales actiones aliorum, non quod illas damnet, aut pro illicitis habeat, sed ut per illas probet, Plessium nec impulsorem, nec directorem causæ Bohemicæ fuisse. Principalem enim impulsorem, & primarium directorem Regi Electo ad inaugurationem, & regni apprehendendam possessionem proficiscenti, præsto esse, nec in Palatinatu per totum dimidium annum, ut Plessius fecit, remanere par erat Non damnat ergo alios Author: quia etiam illos justas sese, & actiones suas tuendi, ac defendendi causas habere in toto suo libro passim docet, & demonstrat. Vana est ergo, & sine viribus Fabii cavillatio.

Pag. 197. Fabius calliditati Plessii attribuit, quod se à Conventibus Unitorum abstraxit. Duo Compilator dixerat de Plessio: Prius est, illum multos in societatem Unionis pertraxisse Posterius est, illum una cum Camerario, & adjurore eodem hoc fecisse. Negavit utrumque Author responsionis:

nis: & Plessium nec solum, nec adjutore Camerario unquam cum quoquam de Vnionis fœdere amplectendo egisse; (quã quam hoc nihil aliud, quam in re licita versari fuisset) raro etiam Vnitorum Conventibus interfuisse, asseveravit.

Quid clarius dici potest? Noster autem Fabius quomodo respondet? Ad prius, nempe Plessium nunquam vel solum, vel cum Camerario quenquam ad Vnionis societatem pellexisse, obmutescit, dissimulans illud, & silentio prætereiens quia veretur ne aliquid veritati parum consentaneum asserendo iterum se falsi alliget: ad posterius vero, nimirum Plessium paucissimis Vnitorum conventibus interfuisse, temperare sibi non potest, quin conjecturas suas pro more lectori, easque calumniæ felle tinctas, loco responsionis, & probationis obtrudat. Fingit enim Plessium asture à Conventibus abstinuisse, in arcano consilia suppeditasse. Sed quæro ex te, Fabi, quid causæ erat, cur in arcano Plessius consilia subministraret, & cur ea in conventu Vnitorum suppeditare vereretur?

Quid, aut quem timere necesse habebat? quid ipsi obstabat, quominus eadem consilia Principi suo in Conventu suggerere auderet, quæ Heidelbergæ in senatu subministrate solebat? Puerilia sunt hæc nimis, Fabi. & Jacobo Cellario, Collegii Monachiensis Rectore, indigna. Præterea inepte conjectas, Plessium asture à Conventibus abstinuisse. Nemo enim non intelligit in illius arbitrio non fuisse domi manere, vel ad Conventus proficisci, cum non minus ipsi, quam reliquis consiliariis, à voluntate & jussu Principis sui dependendum fuerit. I. C. solent dicere, in certis non esse locum conjecturis. Vera & certa causa, cur Plessius Vnitorum conventibus rarius interfuerit, duplex est. Prior est, quod certi consiliarii negotiis Vnionis tractandis essent destinati, in quorum numero non erat Plessius. Posterior est, quod aliquoties casu fortuito acciderit, ut ille tempore Conventuum ob alia Principis sui negotia peregre abesset.

Hinc apparet conjecturas Fabii, hoc in loco ab ipso adductas, veritate non niti, sed potius calumniandi cacoethes redolere.

Pag. 198 Fabius ægre fert, obiter & paucis verbis de Anhaltino aliquid dictum fuisse, quamvis de illo operose defendendo se minime cogitare Author responsionis diserte significaverit. Fabius nihilominus ipsi vel nolenti partes Advocati imponere conatur, recoquens etiam eadem opera toties mensæ jam ante appositam cramben petitionis Principii. Quia vero ipsi aliæ probationes desunt, rumorem de verbis, quæ cuidam ex comitatu Legatorum Unionis Monachii excidisse ait, ibidem sparsum allegat, de quo nobis huc usque nihil plane innotuit, & sane quid huic argumento tribuendum sit, lector facile videt. Paulo post perfricta fronte negare audet id, quod Auctor Responsionis de præcipuis quibusdam Archiepiscopatus Coloniensis pertinentiis, quas vocant, dixerat, nimirum, durante bello Coloniensi Monachii actum & deliberatum fuisse de iisdem Domui Bavaricæ in perpetuum addicendis. De Wilhelmi patris, non de filii Maximiliani, signo & manu loquitur Author, Fabi, ne fortassis per æquivocationem tibi familiarissimam elabaris. Tune solus ignoras, cũ Martinus Schenckius, Gebhardo Truchsesio militans, Bonnam cepisset, omnes litteras Bavarorum, & aliorum, omnia arcana Ernesti Bavari acta, omnia privilegia, documenta, & similia, quæ in Cancellaria, & Archivo Bonnensi asservabantur, in Martini manus pervenisse, & in Hollandiam, & alia loca asportata, & a plurimis visa, & perlecta fuisse? Hæc ditionis Coloniensis incolis, eorumque vicinis notissima sunt: ita ut te, Fabi, qui Authorem mendacii insimulare non vereris, naviter impudentem esse oporteat. Inter illa acta, Fabi, erant litteræ Wilhelmi Bavari, de pertinentiis Archiepiscopatus Coloniensis, de quibus supra dixi, sibi in compensationem sumptuum mancipandis, una cum multis aliis arcanis Epistolis, quæ notis secretis scriptæ

erant

erant. Hæc ad liberandam fidem Auctoris Informationis necessario lectori detegenda fuerunt.

Caput Octavum.

DE amicitia Turcarum disserit Fabius pag. 201, & hanc Christianis pudendam esse inquit. Nos sane non laudamus eos, qui nulla necessitate urgente ad amicitiam Turcarum sese applicant, præsertim si hoc fiat cum orbis Christiani periculo. Incidunt tamen interdum tempora, & rerum humanarum vicissitudo fert, ut vicini Turcis reges, Principes, Respublicæ, Romanam etiam religionem profitentes, cum illis amicitiæ, pacis, commerciorum jura colere necesse habeant, idque salva etiam conscientia, & sine præjudicio Christianismi sese facere posse existiment. Quam sancte hujusmodi jura cum Imperatore Constantinopolitano hodiernus rex Poloniæ colat, ejusdem ad eundem, & ad supremum visirium Anno 1623 Warsaviæ scriptæ, & publicis typis excusæ litteræ testantur. Ferdinandus etiam primus (ut Iovius in historia sua refert) Sultanum Solimannum olim imis precibus rogavit, ut sibi regnum Hungariæ sub eodem tributo, quod Ioannes Cepusius pendere consueverat, in feudum concederet, promittens, se perennem & sinceram cum ipso amicitiam colere, Fratrem etiam Carolum Cæsarem in societatem illius pertrahere paratum esse, præterea maxima inde commoda, & emolumenta ad Solimannum redundatura esse ostendit. Hac enim ratione omnia pacata, ac tuta illum ex parte Europæ habiturum esse: ita ut suo arbitratu in Asia arma circumferre, & totas suas vires in regem Persarum, potentem & perpetuum æmulum, convertere cum certa spe victoriæ posset. Scribit idem Iovius Alexandrum sextum, Pontificem Romanum, cum Carolus octavus, Galliæ Rex, expeditionem in Italiam ad vindicandum sibi regnum Neapolitanum susciperet, cum Sultano Constantinopolitano secreta consilia agitasse,

tasse, pecuniam etiam ab eodem petiisse, & promisisse si hanc impetraret, fore ut facile Gallorum conatibus resisteret, & ne illi, occupato forte regno Neapolitano, in Epirum trajecerent, & ipsam Constantinopolin oppugnarent, impediret. Quid Schioppium vestrum, aliquoties à te, Fabi, honoris causa nominatum, memorem? Nonne ille in classico belli sacri cap. 19. expresse scribit Cæsari cum Mahometanis, alijsque Ethnicis Fœdera inire licere? Nihil hic, ne nimis prolixi simus, dicemus de Rege Galliæ, de Venetis, & alijs, vicinitatis, & amicitiæ jura cum Sultano Turcarum colentibus. Quem ergo non misereret tui, Fabi, qui adeo imprudenter, & temere Regi, & Ordinibus Bohemiæ ea exprobres & objectes, quæ illi Principum, Rerumpublicarum, & regum, Romanæ fidei addictorum, imo ipsorum Pontificum exemplo defendere, & optimo jure tueri possunt? Cæterum ad argumentum ab Instructione, Ioanni à Collen data, petitum, quia nihil habes aliud, quod respondeas, fingis aliud in reconditis mandatis fortasse legatum habuisse, aut illi in aurem dictum fuisse. Certe talia recondita mandata inter reliqua arcana acta Pragensia sine dubio invenissetis, si in rerum natura fuissent. Deinde, ne nescias, Fabi, non solent ab Oratoribus Principum Christianorum Sultano exponi ea, quæ ipsis in aurem forte dicta fuerunt; sed omnia, quæ alicujus momenti sunt, per diplomata, & litteras authenticas demonstrari. Turcæ enim manus oculatas habent, credunt, quod vident. Apage ergo cum tua conjectura, & commento, & pudeat te hoc pro re certa lectoribus subdole obtrudere. Porro si quid militum Turcicorum ex præsidijs Hungariæ Princeps Transylvaniæ una cum suo exercitu in fines Moraviæ duxit, hoc nihil habet commune cum legatione Regis Friderici, & Ordinum Bohemiæ, & diu post prælium Pragense factum fuit, ejusque rei ratio ab ipso Transylvano, si tibi videtur, Fabi, reposcenda est. Turnium quin etiam Constantinopoli Mahometis nomen & numen obtestatum esse, pro consueta dicacitate effutis, in litura

tura etiam tua illum se cultro Mostij supponere voluisse, proterve, & petulanter innuere non vereris. Habetis illum jam in vicinia vestra, ingratum sine dubio Bavaris, & inexpectatum hospitem, & non amplius contemptibilem, sed potenti exercitui imperantem. Quære jam ex ipso Turnio, uti in Litura tua sub finem quæris, quid magnus Mufti agat? An cultro ejus Turnius se permiserit, & circumcisus sit? Dignæ certe Iacobo Cellario quæstiones: & dignus ipse, si Romam ad Iubilæi indulgentias proficiscens in Turnij forte manus incideret, qui dignis modis accipiatur. Consultatiōnes, quas contra conscientiam, stultam habes, & sciens prudens falso Heidelbergenses vocas, non moramur. In cassum laboras, dum Electo Bohemiæ regi, & Ordinibus jus legationis adimere conaris. Ordinibus Bohemiæ jura Majestatis competunt, & male tu Bohemis sanctiones Imperij objicis, quæ illos non ligant. Quod si etiam regem Fridericum duntaxat tanquam Electorem Imperij consideremus, nullo jure illi potestas legatos extra Imperium mittendi derogari potest. Experientia testatur, sæpissime ab Electoribus, & alijs Principibus, ac statib. Imperij legatos ad exteros reges, Principes, & Respublicas, nemine contradicente, mitti. Quoties Principes Protestantes in Galliam legatos miserunt, videntibus, nec obnunciantibus Imperatoribus? quoties in Angliam, Sueciam, Daniam, Poloniam, Austriacis, & Bavaris inconsultis? Nonne civitates Hanseaticæ ante aliquot annos legationem solennem miserunt ad reges Galliæ & Hispaniæ, aula Imperiali vidente, & tacente? Dices, miserunt legatos ad Reges, & Principes Christianos, non autem ad Turcarum Sultanum. Respondeo, verum est, sed supra ostensum fuit, ijs, qui jus legationis habent, multorum regum, & Principum Christianorum exemplo, necessitate exigente, etiam Constantinopolim legatos mittere licere. Ridet porro Fabius, homo scholasticus, 50 millia a Bohemis ad conservandas arces Hungaricas promissa: nec considerat hanc summam non esse contemnendam,

ut pote additamentum ad priores contributiones, quas Bohemi jam multos annos nominatim in eundem finem gravissimas pendebant. Quinquaginta autem millia notandum est promissa fuisse Transylvano, qui parum quidem Austriacis, sed parum etiam Turcis fidebat, & tum Transylvaniæ, tum Hungariæ propugnacula in omnem eventum contra utrosque quam diligentissime munienda, & custodienda sibi esse existimabat. Hoc autem modo, id est arces limitaneas muniendo, & diligenter custodiendo, Turcam in Imperium attrahi quis sanus dixerit? aut quomodo hac ratione omnia sibi aperta Turca invenire potest? Nam Turcarum Imperatorem a nobis oratum ut nobis auxilio tum veniret, supra multis in locis verissime negatum fuit, & paulo ante, nempe pa. 202. Fabius, sibi contrarius, in instructione Ioanni a Collen data, nihil esse magnopere suggillandum fassus fuit

Pag. 203. ex ingenio, & speculative disserit de juniore Stephano Betlenio, & pulchras suas phantasias pro re vere ita gesta enumerat. Præceptores non vult fuisse præceptores, sed rectores juventæ, quos vulgo præfectos morum vocant, & quos Fabius negotiis politicis, imo etiam tractandis armis operam dedisse contendit cum tamen tota Heidelberga contrarium testari possit. Non solum ipse adolescens, sed etiam præceptores hospitio Palatinorum Francoforti abstinuerunt: cum Palatinis nunquam ibidem locuti sunt. Quo pacto igitur liberabis fidem cõpilatoris, Fabi, qui diserte scripsit juniorem Bethlenium Francofurti à Palatinis ad consilia de Electione adhibitum fuisse? Hoc tu dissimulas, & per ambages passibus ambiguis volubilis erras. Ipsissima veritas est Adolescentem Bethlenium cum præceptoribus per Cæsaris Secretarium Hungaricum ad deosculandam Imperatoris manum introductum fuisse, & ubi Francofurti vix per triduum substitisset, Palatinis insalutatis, Marpurgum discessisse. Puderet equidem nos harum ineptiarum refutatione lectoribus molestos esse, sed

sed quia silentium nostrum Fabius non modestiæ, & moderationis nostræ, sed malæ causæ inditum esse exclamare posset, ideo vel inviti importuno isti homini ad minutiora quoque respondere cogimur.

Caput Nonum.

IN hoc capite Author Responsionis ad C. A. docet malè à Compilatore negari, Cæsarianos, ac Ligistas in bello Bohemis inferendo etiam ad religionem respexisse: & ad refutandum eundem allegat capita, sive articulos in conventu Herbipolensi à legatis Bavaricis propositos, ex quibus apparet Bavarum, & alios præcipue eo collimasse, ut Bohemia in fide, & obedientia erga sedem Romanam permaneret. Quid ad hæc Fabius noster? Miros ludos præbet. Primum enim aberrat à sensu argumenti hujus capitis, quod ita interpretatur, ac si Author informationis diceret, solide demonstratum esse, in Bohemia non religionis, sed regionis negotium à Bohemis actum fuisse, cum tamen hæc sint verba non Authoris Informationis, sed Compilatoris Cacellariæ A. qui vult astruere, in Bohemia non religionis, sed regionis negotium actum fuisse à Pontificiis, nempe, Ligistis, & Austriacis, id est Ligistas, & Austriacos armis Bohemiam invadentes non ad religionem, sed tantum ad regionem respexisse. Deinde ait Fabius: Vt Author persuadeat lectori, Bohemos in Bohemia nō ob religionem, sed ob regionē tumultuatos esse (qua de re tamen inter Compilatorem, & Authorem nulla est hoc loco controversia) nos testes compellat, id est, Articulos à Bavaris Herbipoli propositos allegat. Nihil minus, Fabi. Authori non est propositū in hoc capite probare, Bohemos ob religionem arma cepisse (id quod per se verum, & notorium est) sed vult probare thesin Cōpilatoris nempe solide demonstratum esse, in Bohemia non religionis sed Regionis negotium actum (à Ligistis, & Austriacis scilicet) veritati non esse consentaneam

M Hanc

Hanc, inquam, thesin hoc capite refutat Author, & ostendit, Ligistas, & consortes in bello Bohemis inferendo etiam ad conservationem, & propagationem religionis Romanæ respexisse. Verba Cōpilatoris in Concellaria Anhaltina fol. 4 ante finem §. *In massen eben &c* ex Germanico in Latinum sermonem conversa, ita habent: ut etiam in negotio Bohemico, quamvis fundamentaliter probatum fuerit ibi non de religione, sed de regione quæstionem esse, nihilominus tamen per diversas legationes, de consilio præcipuorum authorum missas, & per informationes tam in scriptis, quam viva voce factas, solummodo miser status religionis in Bohemia, & litterarum Majestatis, ac privilegiorum violatio exaggerata, & inde in Apologiis fere aliquot centena gravamina religionis producta fuerunt, &c. Sensus igitur est argumenti huius capitis, Cōpilatorem asserere in Bohemia de religione nō fuisse quæstionem, nec Bohemos propter religionem armis oppugnatos fuisse. Hanc, inquam, esse mentem Compilatoris, ex verbis ipsius, modo allegatis, manifestum est. Author autem Informationis in toto hoc Capite hoc agit, ut demonstret cōtrarium, nempe Pontificios expeditionem contra Bohemos etiam intuitu religionis Romanæ, & Protestantes Bohemiæ opprimendi animo suscepisse. Et huc omnia argumenta, ab ipso adducta, tendere nemo non videt. Fabius vero plane a sensu aberrat. Quid enim? Pag. 207 ait: *Vt* persuadeas lectori vos in Bohemia non ob regionem, quam Cæsari detractam volebatis, sed ob religionem tumultuatos esse, nos testes compellas, &c. Sed, mi Fabi, supinus admodum hic tuus error est. Nusquam enim Informationis Author affirmat Bohemos non ob regionem, sed ob religionem arma cepisse: nec allegantur articuli, a legatis vestris Herbipoli propositi, in eum finem, ut probetur Bohemos non ob regionem, sed ob religionem arma induisse (nulla enim hac de re inter Compilatorem, & Authorem controversia erat) sed ut probetur, Ligistas cum sociis etiam intuitu, & odio religionis Bohemos oppugnasse, id quod Compilator

latori loco citato negat. Cum igitur, tu Fabi, nec Compilatoris, nec Informatoris verba recte intellexeris, sed potius huic affinxeris ea, quæ non dixit: imo cum ipse pag. 208 fatearis vobis Ligistis, & reliquis Pontificiis propositum fuisse religionem Romanam periclitantem, & sacra vestra (uti pag. 209 loqueris) in Bohemia asserere, & tueri, & ita Compilatori, commilitoni tuo, in Bohemia religionis negotium vos egisse neganti, aperte contradicas, mirum non est te adeo absurda, & nullo responso digna, hoc in Capite in medium adducere. Qua in parte ut clarius adhuc elucescat, quam parum ipse tibi constes, allegamus verba tua, quæ in Litura Cancellariæ Hispanicæ in ipso ingressu pag. 1 § in Bohemia &c. posuisti. In Bohemia (inquis) fato urgente vesaniæ initium datum, levi ab initio, & affectato. Libido invasit Calviniano spiritu ebrios in alieno profanum fanum ædificandi &c. Ecce ibi ipse fateris motus Bohemicos ab exstructione templorum, & consequenter à religione originem trahere, & tamen in hoc capite affirmas Bohemos non de religione sed de regione solicitos fuisse. Erras ergo tu extra orbitam, Fabi, non vero Author Informationis, ut tu dicis: & id quod tu in eundem false jacis de ingenio ipso Calvino digno, id nos meliori jure ita tibi regerimus, ut dicamus: O ingenium vel ipso Ignatio Loyola dignum. Lege porro, Fabi, dissertationem de causis motæ Bohemiæ, & disce ex ea Bohemos, & religionis simul, & libertatis defendendæ ergo arma induisse. Bohemiæ regnum, patriam suam, contra aggressores tueri volebant; propter alienas regiones, prędę sibi destinatas, illos sese armasse, tu, Fabi, primus et solus dixisti, & sine dubio finxisti.

Jussistis equidem (ut pag. 210 itidem narras) una cum Reformatis exire quosdam alios, & non paucos sane: & jam totos Lutheranorum greges ejicitis, & multas viduatis civibus urbes, quo jure, vos videritis. Tu dicis, Fabi, licere jam in Bohemia, quod aliis Principibus per suas ditiones licet.

Sed Doctor Martinus Hoé per pacem religionis hoc licere in suis ad Principem Lichtensteinium litteris negat, præterea vobis sincerationes vestras (ut jam loquuntur) & per Archiducem Carolum, & Electorem Coloniensem sanctissime datam sed male servatam fidem, tanquam caput Medusæ, objicit. Sed tu hæc omnia studiose, Fabi, dissimulas nec quidquam ad objectiones Doctoris Hoe respondes. Vides enim hoc ulcus sine periculo tangi a te non posse. Concludemus hoc caput, ubi unum hoc addiderimus, quod dicis te Hussitas nihil morari, quia Imperium illis nihil debet. Si hoc ita est, Fabi, sequitur etiam Imperio Hussitas nihil debere, quos tu tamen Imperii Constitutionibus obnoxios una cum reliquis Bohemis facere non dubitas.

Caput Decimum.

PAg 216 ait Fabius, Romanenses in Germania sæpius à Reformatis clam, & palam lacessitos fuisse, nullum tamen, eius rei vel exemplum, vel probationem allegat. Ingenue deinde fatetur Episcopatus inferioris Saxoniæ jure Romanensium esse, & ex pacto Passaviensi ipsis deberi: id quod diligenter à possessoribus eorundem notari operæ pretium est: Et revera hoc non ita expeditum est, ut Fabius, & alii Romanenses putant. Cavetur quidem in Constitutione de pace religionis, ut, si quis Episcopus, aut alius Ecclesiasticus Romanam religionem deserat, is statim ab Episcopatu, sive alio beneficio decedat. Sed quando totum aliquod Capitulum, aut Collegium sive maior illius pars, Protestantium religionem amplectitur, & Episcopum, vel Cœnobiarcham Protestantem eligit, de tali casu illa constitutio nihil statuit, nec sancit. Cum igitur ille casus omissus, & non decisus sit, Episcopi, & Capitula, ac reliqua collegia circuli inferioris Saxoniæ nunquam concedent Episcopatus ab Informationis authore nominatos, aut reliqua bona, & beneficia Ecclesiastica ve-

ea vestra esse, sed potius sese, uti possident, ita possidere debere, dicent, donec in Comitiis Imperii ab omnibus ordinibus aliud statutum fuerit.

Neque sane æquitati consentaneum videtur, ut, cum illi Episcopatus, & aliæ præfecturæ Ecclesiasticæ a Principibus, nobilitate, & reliquis illarum regionum incolis, dotatæ, & & ditatæ fuerint, vobis ex locis remotissimis, id est, ex superiori Germania, quâ Pontificia est, Episcopos, vel Canonicos vel Monachos Saxonibus, qui breviario & Missali Romano jam pridem valedixerunt, etiam invitis, & renitentibus obtrudere liceat. Nemini itaque mirum videri debet, si Saxones alienum pecus, & fucos vestros ab alveariibus, & præsepibus suis arcent. Nec hoc pacto vel Episcopatus dissipantur, vel hereditarii fiunt, vel Imperio quidquam decedit. Nam & Episcopatibus sua jura, Episcopis sua dignitas, Capitulis sua libera electio, & reditus, ac bona sarta tecta manent: Et contributiones, ac reliqua onera publica Imperii ab hodiernis Episcopis optima fide, & liberaliter præstantur. Scitum autem est, quod Fabius hoc loco mordet Calvinistas propter Episcopatus Saxonicos, cum tamen illos à Principibus Lutheranis, quos nominare, & offendere non audet, teneri sciat, nec ignoret, Electorem Palatinum, reliquosque Reformatos, vix pauca monasteria, in quæ advocatiæ, & alia jura illis competunt, possidere. Eodem modo Calvinistis succenset propter gravamina, quæ in Comitiis ab omnibus Protestantibus, paucissimis exceptis, Cæsaribus exhiberi solent. Catholicæ, sive Romanæ religionis Judicem non simpliciter rejicimus: temperantum tantum aliquod, & æquabilem juris dicendi rationem in Imperio flagitamus, de qua si nos desperare jubes, Fabi, de stabili etiam, & secura pace Germaniæ reddenda parum spei superesse eadem opera non obscure innuis.

Nos nec jus mittendi Spiram senatores vobis ademptum, nec numerum eorum imminutũ imus: hoc tantum dicimus;

Si vos vultis Protestantes promiscue ad litigandum coram suspectis judicibus adigere, quid ipsis pactum Passaviense & pax religionis proderit, cum a vobis sub specie justitiæ brevi temporis spacio omnibus fortunis everti universi possint? Jus antiquum allegas, sed nemo non intelligit aliam jam esse rerum in Germania faciem, & ideo etiam prudentissimus Cæsar Ferdinandus Primus salutis publicæ interesse judicavit, ut Protestantibus pax religionis concederetur, non concedenda, si ita præcise, ut vos Bavari, successibus paulo felicioribus inflati, jam facitis, ad jus antiquum respicere voluisset. Manete vestro loco, nos in nostro etiam manebimus, avi, & proavi nostri magnas causas à vobis discedendi habuerunt, nos adhuc majores ad vos non redeundi habemus. Verba Electoris Coloniensis, ab Authore informationis allegata, dicta fuerunt Marchioni Anspacensi, cum ille ante aliquot annos, iter in provincias Iuliacenses habens, Coloniensem in transitu inviseret. In reditu, Anspacensis sermonem Coloniensis retulit Electori Palatino, Principi Christiano Anhaltino seniori, & nonnullis consiliariis Palatinis, nec dubitandum est Anspacensem etiam eundem communicasse cum aliis Principibus Unitis, ad quorum omnium fidem, & testimonium provocamus. Fatemur multa dici inter Principes familiari joco, sed ridentem dicere verum quid vetat?

Cæterum, mi Fabi, quomodo subsistere potest, quod tu dicis, Compilatorem cum Electore verbis non pugnare?

Nonne tu pag. sequent. § Compilator &c. ais, Compilatorem, quando dicit Romanenses tantum sua petere, intelligere ea solum, quæ re ipsa vestra sunt, non quæ jure ad vos pertinent? Ergo ex mente Compilatoris vos non petitis Episcopatus, & alia bona Ecclesiastica inferioris Saxoniæ, quæ vere, proprie, & re ipsa vestra dici nequeunt. Elector autem Coloniensis dixit expresse, & sine distinctione, omnia bona Ecclesiastica, quę Protestantes in genere adhuc posident, aliquando reddenda esse. Vnde necessario sequitur vos non

de iis

de iis tantum, quæ re ipsa vestra sunt, & quæ possidetis, conservandis, sed etiã de iis, quæ jure, & vigore pacti Passaviensis ad vos pertinere putatis (in quorum numerum Episcopatus Inferioris Saxoniæ supra pag. 216 a te diserte referuntur) reperendis cogitare. Posterius Compilator secundum tuum, Fabi, intellectum negat; Elector autem affirmat. Nonne igitur ille cum Compilatore verbis pugnat? Hinc etiam colligi potest te sine ratione astruere velle, ab Authore tibi æquivocationem texi, cum lector apertissime videat te sine beneficio æquivocationis Compilatoris, & Electoris verba conciliare non posse.

Quantum ad innovationes, quæ à Iesuitis, & monachis, aliisque Catholicis Romanis apud Protestantes tentantur, earum multa exempla inveniuntur in publicis Protestantium gravaminibus. Nec ad rem pertinent, quæ, Fabi, de civitatibus Imperialibus, quæ Catholicis mixtæ sunt, speciose allegas. Nam de illis hic non agitur, nec Author Resp. dicit Iesuitas, Cappucinos, aut sacerdotes Pontificios in Provinciis Ordinũ Protestantiũ vivere, & commorari, sed illos innovationes tentare, dum nimirum importune urgent, & instant, ut ipsis monasteria, & templa in ditionibus Euangelicorum restituantur. Quo pacto nuper Abbates duo Hildesienses in Archiepiscopatu Magdeburgensi visitationem contra receptam consuetudinem instituere conati fuerint, ex sequenti Epistola, ad Abbatem Monasterij Ammenslebiensis, Dominum Casparum Ulenbergium, scripta cognosci potest. Admodum reverende in Christo Pater, amplissime domine, confrater amantissime, Pax Christi. Authoritate Cæsarea, tam ex speciali Reverendissimi Præsidis commissione, quam generali Patrum capituli annalis, proxime celebrati, decreto intendimus primo nobis oportuno tempore visitare vestrum, & singula, in Archidiœcesi Magdeburgensi Ordinis D. Benedicti existentia, monasteria: quod ut Reverendæ Vestræ Paternitati, eiusque venerabili conventui ignotum non maneat, præsentibus litte-

litteris significare volumus. Quod ut ad laudem Dei, & singularem vestram utilitatem provenire possit, nos requirimus, & in Domino paternè hortamur, ut promptos vos, & paratos exhibere studeatis. Cupimus etiam, ut id ipsum aliorum Monasteriorum, præcipue Eglensis, religiosis, Prælatis, & Conventibus per vos innotescat. Dat. Hildesij 3. Octob An. 1624. Fr Iohannes, Abbas S. Michaelis ibidem. Fr Iohannes Rudolphi, Abbas Sancti Godehardi indignus. Nonne hoc, Iacobe, in aliena Diœcesi, quæ ab Episcopo, & Canonicis Protestantibus possidetur, & administratur, innovare est? Nonne etiam aliquot Canonici Pontificii à Capitulis Magdeburgico, & Halberstadensi, novo plane more se recipi, & admitti, quidquid in contrarium allegari possit, flagitant? Nec est, quod hic Calvinistas, Fabi, accuses: quia cum Lutheranis (& non cum Calvinistis) in Inferiori Saxonia vobis res est, in quos bilem tuam aperte non audes evomere. Subnectis pueriliter & insulse admodum, Calvinistas sæpe multa novare, & religionem suam mutare. Reformati Heidelbergenses, Fabi, nunquam religionem suam mutarunt. Post mortem Friderici tertij, Electoris Palatini, Ludovicus ipsius filius, Lutherano dogmati addictus, ritus ac ceremonias Lutheranas una cum Catechismo Lutheri in Palatinatum introduxit, & ministros ac Theologos, reformatam religionem profitentes, dimisit, quos maxima ex parte Ioannes Casimirus, Ludovici frater, Neostadium vocatos in Ecclesia illa, & illustri Gymnasio publice docere jussit, & religionem reformatam in sua ditione conservavit, cui etiam multi cives Heidelbergenses, aliique politici ministri, constanter adhæserunt. Ludovico mortuo, Ioannes Casimirus omnia restituit in pristinum statum, in quo etiam fere 40 annorum spacio usque ad Bavaricam violentam Ecclesiarum deformationem perstiterunt.

Pag 222 § apud fallentes &c ais, nec Bavari, nec alii Catholici adhuc Protestantes fefellere. Ain tu, Fabi? nos negamus

gamus propositionem, & damus instantiam. Certe Bavari, & alii Catholici Doctorem Mattiam Hoe fefellerunt, ut ipse in litteris suis ad Principem Lichtensteinium conqueritur. Subjicis, Calvinistis hæc consuetudo invaluit, sed lege, Fabi, libellum nuper editum sub titulo: Sinceratio sincerationum, & ibi invenies, vos in diuturna & continua hujus artis possessione, & exercitio esse, & per actus veteres, & recentes illud jus præscripsisse.

Ad ea, quæ pag. 221 de juribus Episcopatus Hildeshemensis dicis, à nobis respondere nihil attinet in ducem Brunsuicensem, & consiliarios ipsius faba cuditur, quos sibi vigilaturos esse credibile est. Eadem est ratio eorum, quæ de Marchionibus Badensibus narrantur, ad quæ suo tempore ab illis responsum iri non est dubium.

Pag. 226 ait Fabius Pontifices cupere quidem mutatam apud Germanos religionem, sed ad hanc rem armis non uti. Verum contrarium probatur exemplo Pauli tertii, quem Carolo V bellum Protestantibus inferenti, 10 millia peditum, & sexcentos equites subsidio misisse, & magnam pecuniæ vim in eundem finem Venetiis deposuisse, historiæ testantur. Paulum etiam Quintum, & Gregorium XV vos in Bohemis, & Protestantibus Germaniæ debellandis occupatos pecunia juvisse, tu ipsus, Fabi in hoc libro, & in Litura tua non dissimulas. Paria autem sunt armis uti, vel alium armis utentem pecunia juvare. Quam autem sine ulla malignitate, & sine ullo injuriandi (liceat ita cum I. C. loqui) animo per jocum illa verba corvum hiantem ex proverbiali Horatii versu huc accommodata fuerint, lector facile videt: præsertim cum expresse addatur, videri Hispanos id agere, ut bonum hunc senem in morem corvorum hiantium deludât. Hæc monenda fuerunt hoc in loco ad liberandum malignitatis, & maledicentiæ crimine Authorem Informationis qui semper studiose sibi hoc observandum esse judicavit ne quêquam mortalium petulantia, ac procacitate linguæ immeN ten-

tentem læderet. Quod vero Fabius subiungit, Authorem informationis, ut quid dicere possit, ad nugas exspatiari, manifesta cavillatio est. Nam Author non dicit nuptias Venusine ad ditionis Romanæ in Imperio propagationem facere, ut Fabius ipsi proterve affingit: sed diserte ait, Hispanos per has nuptias Gregorium in suas partes pertraxisse. Apposite igitur Author nuptias illas allegavit, & noster Fabius carpendo ea, quæ Author non dixit, apertissime ipse nugatur. Parum etiam abest, quin Fabius aperte neget, Pontificem nuperum Regis Galliæ contra Hugonotas bellum probasse. Sed audiamus, quod ipse Gregorius XV ea de re 10 Iulii Anno 1621 ad regem Galliæ inter alia scripserit. Nos, inquit, quemadmodum ex hoc altissimo Apostolicæ dignitatis fastigio, quo nos, licet viribus impares, miserantis Dei dextra deduxit, exercitibus tuis præsenti animo intersumus, ita & divina accuratissimis precibus paramus subsidia. Tametsi, quæ cohortante Pontifice & rogante, virtute tua cœpisti non veremur, quin constanter persecuturus sis: patere te tamen nostris cohortationibus inflammari, saltem ut de veræ religionis dignitate soliciti esse, & tuæ gloriæ favere videamur &c. Tune ergo in dubium revocabis, Fabi, Pontifici, qui regem ad continuandum bellum erat cohortatus, & qui eum nunquam arma, nisi Hugonotis omnibus victis, & debellatis, positurum esse sibi persuadebat, factæ ex improviso pacis nuntium ingratum fuisse? Tune quærere perges, quis Nuntius Authorem ea de re certiorem fecerit? Quæstio hæc parum decet Jacobum Cellarium, virum tantum. Scis, Jacobe nobis quidem cum Nuntiis Pontificum nullum litteratum intercedere commercium, cum legatis autem regum, magnorum Principum, & Rerumpublicarum, & cum multis aliis viris, dignitate & rerum usu præstantibus, iisque Romanæ religioni addictis, intercedere non ignoras, & ideo merito te huius quæstionis, per quam te Authorem confundere posse tibi stolide persuades, pudere debebat. Concedimus sane

ex

ex eo, quod Pontifex pacem Galliæ ęgre tulit, non sequi, propterea Germaniam statim petituram, sed tamen firmiter inde concludi potest, Romanos Pontifices eodem, quo erga Hugonotos Galliæ, etiam erga Protestantes Germaniæ esse animo, & non minus horum, quam illorum, oppressionem, & interitum optare. Nemo hoc negare, nemo solidam differentiæ rationem adducere poterit.

Sub finem paragraphi, & sub initium paginæ 227. Fabius Authorem impudentissime mendacii arguere conatur, sed verba ipsa Italica Cardinalis Ludovisii audiamus ex Epistola ad Nuntium Carassam sub finem: *Sarebbe (ait) per meglio, che rimanendo abbatuto, & disfatto il Palatino, & augmentati i Catholici di forze, si havessero inimici meno potenti*: id est, Satius esset, Palatino remanente prostrato, & profligato, & Catholicorum viribus crescentibus, inimicos illorum esse minus potentes &c. Quid, quæso, hoc aliud est, quam per Palatini oppressionem Catholicorum vires augeri, Protestantes vero minus potentes reddi, & per consequens facilius subjugari posse? Nonne hoc plane idem est, quod Author responsionis dixit? Porro hic quam argutum cavillatorem agat Fabius, notatu dignum est. Author Responsionis dicit, constare hæc ex litteris Cardinalis Ludovisii. Fabius negat vulgo notum esse, quod hæc scripta sint, & affingit Auctori id, quod non dixit nempe non dixit vulgo hæc nota esse, sed hæc sciri ex litteris Cardinalis Ludovisii: & etiamsi hoc dixisset, non errasset, quia Epistola C. Ludovisii, quæ, utpote superioribus annis publicis typis excusa in omnium manibus est, vulgo nota esse rectissime dici potest. Ignoscat nobis lector, & veniam det quod propter adeo crebras Fabii, easque calumniæ felle tinctas argutias, & cavillationes sæpe etiam minutioribus, non minori cum nostro, quam legentium tędio, immorari cogimur.

Pag. 228 Fabius vult Authorem contradictionis arguere, frustra. Dixit Author supra cap. 4. Ligistas, ut fama est, exi-

guam pecuniæ summam à Papa Paulo V. impetrasse. Hic vero dicit Gregorium XV duobus Pontificatus sui annis ingentem thesaurum accumulasse. Hæccine pugnant, Fabi? Nec author scribit Gregorium myriadas Ligæ contulisse, sed conferre posse, ubi sedi Romanæ ita expedire judicaverit. Ubi ergo contradictio? Aiunt sane longe majora subsidia menstrua vos à Gregorio, quam à Paulo, obtinuisse, maiora etiam iis, quę hactenus Urbanum Octavum vobis subministrasse audimus. Ead. pag. Fabius diffitetur Hispanos affectare Monarchiam, ad quam tamen illos magnis passibus contendere omnes Europæ nationes clamant. Subjicit, Palatinum, & reliquos Vnitos bello Hispanum appetivisse, & primos, nulla data causa, pacem rupisse. Quis, quęso, Hispanos armis lacessiverat, cum illi ad Palatinum invadendum sese accingerent, & optimo Principi, magnæ Britanniæ Regi, amice, & familiariter quærenti, quo exercitum ducerent, ambiguo, & obscuro responso per æquivocationem imponerent? Hoccine erat bona fide agere cum rege Jacobo, cui plurimum debebant, a quo multa beneficia acceperant, & cotidie accipiebant, & qui vicissim sibi merito pollicebatur fore, ut, quemadmodum ipse genero nullum exercitum in Bohemiam subsidio mittebat, ita etiam Hispani, quamvis fortassis de domo Austriaca in regno Bohemię occupando adjuvanda cogitarent, tamen avito generi, & nepotum ipsius patrimonio manus abstinerent? Pollicebatur, inquam, sibi hoc merito: sed Hispani, suas, non amicorum res agere sueti, hanc justam, & sanctissime a se cultæ cum illis amicitiæ fundamento innitentem Iacobi regis spem, & exspectationem, tota Europa spectante, & mirante, publice frustrare non dubitaverunt.

Pagina 229 Fabius ait sinceritatem nullam Catholicos Romanos hostibus debere, &, domito Palatino, non parum viribus Hollandicis decessurum. prius paradoxum est, posterius ipsa experientia refellit. Nam ipsi Ethnici, præcipue vero Ro-

Romani, fidem & justitiam etiam erga hostes religiose observandam esse existimarunt, uti ex libro primo Ciceronis de officiis discimus? & Hollandos, non obstante utriusque Palatinatus violenta occupatione, Hispanis in Belgio, & in Indiis plus negotii, quam unquam ante, facessere publice constat. Eadem pag. Fabius Authori, argumentum ex Epistola Nuntij Caraffæ sumenti, irascitur. Scripsit Caraffa, Electore Palatino subiugato, Cæsarem dominum fore in Germania, & Hispanum in Belgio. Hîc more suo ludit Iacobus, & pro verbis hisce dominum fore substituit verba in potestate habiturum Germaniam, inter quæ magnum discrimen est. Nam Cæsar in potestate Germaniam habere recte dici potest, potestate nimirum legitima, & qualem ipsi Constitutiones, & leges Imperij, & pacta cum Electoribus ante Electionem conventa permittunt: Dominus autem Germaniæ, suo arbitratu, & pro libitu imperans, qualem Caraffa in sua Epistola denotat, non nisi abusive, & improprie, vocari potest. Vocem enim Italicam, padrone, qua Caraffa utitur, dominum, suo arbitratu imperantem, significare omnes Italicæ linguæ periti norunt. Author igitur non sine causa dixit, verba Caraffæ in præjudicium libertatis Ordinum Imperii redundare, præcipue quia potestatem Cæsaris in liberrimo Imperio æquat dominio, quod Hispanus in Belgio, provincia hereditaria, obtinet. Sine ratione ergo illum reprehendis, Iacobe, nec quidquam pro te facit, quod tu ais, & nos libenter concedimus, nos nullum alium habere in Germania supremum Principem præter Cæsarem. Nam Cæsar est supremus Princeps per electionem, & liberis Ordinibus Imperii ita imperat, ut legibus Imperii se alligatum fateatur: Hispanus absolutam potestatem, absolutum Imperium, & liberam dominationem in Belgio exercet.

Porro quam omnia in deteriorem partem ab isto homine rapiantur, operæ pretium est observare. Supra in glossis suis sub finem præfationis Fabius taxat immodestiam, quam

vocat, Thomsoni, erga Cęsarem, & desiderat in Authore Informationis, qui nunquam librum Thomsonii antea videtur, respectum summę dignitati convenientem. Hoc autem loco protestationem Authoris, debitum erga Cęsarem respectũ testantis in malam partẽ interpretatur, & sugillat. Quid facias huic Vertumno, qui aliud stans aliud sedens de eadem re sentit? De incommodis sceleribusque quæ subnectit, ea multoties à nobis negata fuerunt, & hic denuo negantur. Honorem, & famam Plessii, aliorumq. Palatinorum Fabius pag. 230 se defensurum esse negat, sed illi Fabii patrocinio non egent, nec illud requirunt. Scitum est vetus illud: A laudato viro laudari ea demum jucunda laus est. Fabii laudes nobis, & encomia sordent. Testimonium probitatis, & integritatis, quod apud omnes libertatis publicæ vere amantes habemus, & conscientia rectorum consiliorum nos facile salvos pręstant. Cachinnos, in quos pag. 231 erumpis, non moramur. Quidquid garrias, aut rideas, apparet, quod vos velletis, & magno mercaremini non, esse talia a Nuntio Caraffa scripta. Negati enim non potest, ipsum comparare dominium Cæsaris in Imperio cum dominatu absoluto Regis Hispaniæ in Belgio, Provincia hereditaria. Hanc comparationem diximus & hic repetimus non posse liberis Germaniæ statibus non esse ingratam, & suspectam. Quam insulse autem verba Authoris in alienum sensum detorques, quando dicit ipsos Consiliarios Cæsareos hanc Caraffæ comparationem non esse probaturos? Nam mens Authoris, ut nemo non videt, est, non esse credibile fore, ut consiliarii Cæsarei probent propositionem Caraffæ, id est, ut Cæsarem liberum, & nullis legibus circumscriptum dominatũ in Imperio habere profiteantur. Ludis ergo, Jacobe, ambiguitate istorum verborum; hoc argumentum. Tu illa de argumento Authoris sophistice intelligis, cum tamen Author disette ponat, hoc axioma & hanc assertionem Caraffæ Consiliarios Imperiales non probaturos. Vide, quã turpiter te des, & quã petulanter verba & sensũ Authoris invertas, & pervertas.

Pu-

Puderet te horum sophismatum, si frontem haberes. Cæterum non est hoc loco, Fabi, quæstio de enumeratione cladium, à vobis Protestantibus illatarum, in quas tu pag. 233 digitum intendi petis: de consiliis secretis, & machinationibus, in perniciem, & oppressionem Protestantium tendentibus, agitur. Cur autem, veterator, simulas tibi nihil cõstare de responso, quod Verospio, Nuntio Pontificio, Viennæ mẽse Februario Anni 1622 datum fuit? Cui persuadebis, te id non vidisse etiam prius, quam typis publicis ante biennium, & quod excurrit, excuderetur? Quidquid sit, in illo responso dicitur statim in initio, Pontificem enixe postulasse, ut Electoratus Palatinus, in Bavariæ Ducem ad religionem in Imperio stabiliendam citra moram transferatur. His autem verbis Pontificem non tantum ad servandam (ut tu vis) sed etiam ad propagandam, & dilatandam fidem Romanam respexisse, inde apparet, quod, Electoratu Palatino in Bavarum translato, eventurum prævideret, ut Romana Religio, priori Euangelica abolita, non contemnenda cum accessione, & novo Papalis per Germaniam authoritatis & Iurisdictionis incremento, per utrumque Palatinatum longe lateq; diffunderetur. Hic notandum est iterum hallucinari Fabium, Doctorem gentium. Ait enim Reformatos non censeri inter Protestantes, imperite: quia nemo unquam ex Euangelicis nomen Protestantium Reformatis derogavit, & in Gallia Reformatos Protestantes communiter appellatos fuisse, & appellari, historiæ testantur. Denique originem nominis Protestantium ignoras, Iacobe, quam discere poteris ex libro sexto Sleidani. Paulo post Fabius, id est, Iacobus Cellarius, Authorem malitiosum scribam vocat, & negat in Epistola Cæsaris ad Zunigam dici, per Electoratus Palatini translationem in Bavariæ Ducem Catholicam rem nimium augescere, sed tantũ hoc dici ait, Saxonem non æquo fortasse animo laturum translationẽ, quod Catholicã rẽ, ex ea nimiũ augescere vereri possit. Iam judicent omnes candidi, & æqui

qui lectores, an Jacobus non manifestam Authori injuriam faciat, & an non hæc in effectu eadem sint. Nam quod Fabius ait, multa timeri, quæ apud alium neque in cogitatis fuere, neque unquam evenient, vanissimum effugium est. Primum plane absurdum est, & parum honorificum de Electore Saxoniæ, Principe magnæ experientiæ, & diu in administratione Officii, & muneris Electoralis versato, ita sentire, ut ipsum non timenda, nec unquam eventura, veritutum fuisse statuas. Deinde eundem Electorem justas timendi causas habuisse, & etiamnum habere, inde liquet, quod vos, Palatinatu semel in potestatem redacto & Electoratu in Bavarum, quanquam illegitime, translato, Papismum passim introducere, Protestantibus circumvicinis leges præscribere, & non solum in superiori Germania solos regnare, sed etiam Saxonibus inferioribus, & ipsis Cimbris arma vestra minabundos, & superciliosos ostentare, experientia testatur, & omnes Euangelicæ religionis, & antiquæ libertatis veri, & sinceri amatores deplorant. Pro Authore ergo responsionis res ipsa loquitur, nec verbis pluribus opus est, cum rerum testimonia adsint.

Caput Undecimum.

IN hoc Capite Fabius noster negat pag. 235, se & consortes velle parvitatem ærarii Unitis probro esse, quam tamen Compilator aliquoties & Cogmandolus, aculeate illis exprobrant. Porro jam per integrum biennium, & amplius exercitus Ligæ ex sudore, & sanguine miserorum Protestantium vivunt, ita ut parum vere Fabius scribere videri possit, cum ait displicere Ligistis coacervata ex prædis stipendia. Nulla præterea ratione, nullo jure cudendæ monetæ Artifici Heidelbergensi imparitas admixti metalli objectari potest, cum toti Germaniæ superiori constet, monetam Palatinam Electoralem reliquas monetas, Bavaricam inprimis, bonitate

nitate longe superasse. Uniti suas divitias nunquam jactarunt: pecuniæ à vobis Norinbergæ mutuò sumptæ mentio facta, & non neminem ex Ligistis etiam non abundare ostensum fuit, ut Compilatori, tenuitatem ærarij Vnitis non uno in loco exprobranti, par pari redderetur.

Caput Duodecimum.

PAGINA 241 Fabius asserit Vnitis haud magnam fœderis meundi causam suppetijsse. Sed tot Principes, aliosque status Imperij non est verisimile temere, & sine causa in Vnionem coaluisse Quisque enim rectissime novit, & judicat, quid sibi expediat, & qua re sibi maxime opus sit. Quærit deinde, quid Donavverdæ exemplum ad Calvinistas? Exemplum, Fabi, Donavverdæ, civitatis Lutheranę, movit vicinos, & alios Lutheranos, ut principijs obstandum, & potens, ac robustum corpus per novum fœdus constituendum, & in illius societatem Reformatos, quos libertatis publicæ amantes esse multis argumentis perspexerant, asciscendos esse statuerent. Et quia tu, Fabi, semper Lutheranis putide blandiris, & fictis tuis laudibus illos contra Reformatos concitare satagis, facere non possumus, quin hîc Epistolam Latinam Bavari cujusdam, tribulis tui, cum candido lectore communicemus, quia ex eadem clarissime elucescit, quam amice, & honorifice vos de Lutheranis sentiatis Sequitur Epistola cujusdam officialis Bavarici, ad filium I N in castris Heidelbergæ versantem, scripta. Mi fili, non potui vicinum hunc nostrum sine meis ad te litteris dimittere, quibus ea tibi significarem, quæ multum rebus inposterum tuis consulant. Nosti ætatem meam satis provectam, & quotidie morbis, ac morti obnoxiam nosti officij mei conditionem lautissimam, quæque te non parum ab obitu meo deceret, ornaretque Itaque varijs modis, maxime vero muneribus (sicut solemus omnia privati exempla publica imitari) primarios nostros devincere aggres-

O sus

sus sum, qui adeo tibi favent, ut jam non amplius dubitandum sit, te simul & patriæ facultatis, & dignitatis heredem fore. Quare, si tibi consultum vis, fac, ut, relicta militia, propere ad nos redeas, nec ipse desis fortunæ tuæ, antequam alius quis nos præveniat. Quamvis enim magnam tibi spem illic aperiant nostrates, nosti tamen militarium hominum promissiones, utut calidas, frigidissimas plerumque tamen habere executiones. Sed & hoc considerandum tibi venit, solis belli artibus operantes parum in pretio haberi pace restituta, nec bella semper duratura, sed, occupato jam utroque Palatinatu, atque adeo Rheno nostræ tandem devotioni addicto, qui restant, hostes non diu reluctaturos, quin facile mox subjugentur, ita ut nullum omnino sit dubium, quin pax in Imperio tunc stabiliatur: modo *præcoces istæ reformationes* Ecclesiasticorum nostrorum fortunam nobis reliquam non perdant, quibus non possunt non offendi Angli, Dani, & reliqui heretici, quibus adhuc pacatis, & quietis frui, maximopere nostra interest. Omnis subita mutatio periculosa, & deberemus potius Hispanorum exemplum nobis ob oculos ponere, qui lente sese jam insinuare, magno suo olim percepto damno didicerunt. Audio enim ipsos exercitum religionis hereticæ à se captis urbibus, & oppidis non statim adimere, sed expectare, donec prædicantes paulatim morte evanescant, & tunc demum Catholicos substitutuos esse. Quamvis ex hoc ipso, ut & ex eo, quod ob expugnatam nuper à nostris hæreticorum metropolim nullas gratulatorias tormentorum explosiones in præsidijs suis audiri fecerunt, sicut antea solebant, si Generalis ipsorum vel pagum tantum ceperat, ipsorum æmulatio potius, & regionis magis, quam religionis amor colligendus esset. Immensæ ad nos prædæ ex illa direptione advehantur quotidie à vestris castris, & ajunt, *Lutheranos, quos vobiscum habetis, milites, plus mali fecisse, quam nostros.* *Nimirum* hoc ipso videmus judicia Domini justissima, qui hæreticos inter sese vel ideo intestinis odijs, vindictis, & crudelitatibus collidit,

lidit, ut veræ fidei incrementum, falsæ vero decrementum ipsimet promovere, & speluncelli alicujus sanguinolenti se ipsos invicem axitepare omnibus modis cogantur: ex quo fundamento, *cujus spiritus filij sint*, clarissime argumentari possumus. Dum hic versor in negotiis potentissimi Ducis nostri, & Conventum Principum operior, non neminem passim audio mussitantem, quasi suasurum sacræ Cæsareæ Majestati, quam sibi immortale nomen conciliare posse putant, si gratiam faciat Palatino, & Complicibus ejus, eosque in integrum restituat, nec quicquam nobis nocituram, vel ipsis profuturam hanc restitutionem, præsertim Palatinatus, qui ita sit devastatus, ut nec Fridericus, nec ipsius nepotes vivi unquam videre possint, ut ad veterem ille florem rediturus sit. Sed valde errant, parumque capiunt rationes, *finemque hujus belli*. Neque etiam hactenus reconciliarentur hæretici, sed veterem injuriam condonans novam invitaret. Deinde versatur hic etiam interesse nostrum. Nam cui bono Princeps tot labores, & sumtus exantlasset, si promissum semel à Cæsare præmium, & bolus iste, quem certe non lucroso, sed maxime oneroso titulo, sudore, ac sanguine inexhausto comparavimus, ex ore quasi extorqueretur? Non certe Herculi clava citius. Sed semper vereor, ne festinationes nimiæ religiosorum nostrorum funditus causam nostram, ejusque progressum evertant. Quamvis enim à suscepto semel proposito minime declinandum, sed occasione, dum illa præsto est, strenue utendum sit, tamen ita procedendum diuturna docuit experientia, ut ne intentionem nostram prius, *quam se suosque Catholicos hæreticis videant*. Sed & civitatibus, quæ se liberas vocant, nimis intempestive, nimisque largo ore nostrum aliqui videntur insultare. Quid hoc aliud est, quam crabrones irritare, & loco securitatis diffidentiam hostibus augere? Vellem illos ab hac re desistere, sar citò, si sar bene. Neoburgicus valde laborat de transferendo in se Electoratu, & Academiarum, Iurisconsultorumque consilia nonnulla opponit Cæsareæ in

Principem nostrum propensæ voluntati, de qua *disputare non quodlibet existimo sacrilegium.* Cæteri quoque prætendentes ringuntur. sed vanæ sine viribus iræ. Disputent, qui volunt quantum volent, chartis: nos manu tem tenemus, & tenebimus contra omnes inferni portas. Ecclesia Dei non potest non vincere, cui quippe omnia elementa & *ipsi heretici nolentes volentes militare coguntur*: quam fiduciam Ducibus nostris, & toti exercitui animitus exopto. Vale, mi fili, & si me, teque amas, ocyus veni. Ratisbonæ 30 Octobris 1612. Mens, ac manus patris tui. Hactenus Epistola, quæ quidem eum in finem principaliter hic inserta fuit, ut inde appareat, pro cujus spiritus filijs Lutherani à Bavaris habeantur, sed tamen multa etiam alia de Romanistarum erga Protestantes universos animo, deque consilijs eosdem pedetentim, & nec opinantes ad Papismum reducendi, a curioso lectore in eadem obser vari possunt. Iam redimus ad Fabium, sive Iacobum nostrum, qui incassum laborat negando, Unionem, dum duravit, veluti obicem, & repagulum inter Ligistas, & Inferiorem Saxoniam fuisse, cum hominem sive erroris, sive impudentiæ ipsa experientia apertissime convincat.

Caput Decimumtertium.

IN hoc capite pag 244 Fabius ait: Calvinistas vocamus, qui Calvinistice agunt, & Calvinistæ sunt. Compilator autem plurima tribuit Reformatis, quæ revera à Lutheranis facta fuisse dici possunt, sive numerum eorum, sive authoritatem, & potentiam spectes. Compilator vitio vertit Reformatis, quod aliqua cum diligentia inquirunt in ea, quæ Romæ, & alibi in Italia fiunt, sed nonne Lutherani idem faciunt? Hos autem Fabius, & Compilator nominate, & offendere non audent. Unitos autem longe maxima ex parte fuisse Lutheranos notum est, qui Unioni nomen dedere, non quod à Reformatis decepti fuissent (quis enim talem imprudentiam,

dentiam, & judicij inopiam in tot Principes, & Respublicas, & tot viros, doctrina, & rerum usu præstantes, qui ipsis à consiliis sunt, cadere posse credat?) & ideo vobis diffiderent, ut tu Fabi asseris, sed quod vos sub prætextu justitiæ Imperialis de Protestantibus sine discrimine (quandoquidem initium à Lutheranis feceratis) subjugandis cogitare, & facta vestra verbis non respondere animadverterent. Nec verum est Reformatos amare Calvinistarum nomen, ut tu cavillaris: odiose à vobis, & alijs ipsis hoc tribuitur. Præterea erras, dum tibi persuades Protestantes nunquam locututos de gravaminibus suis, tacentibus Reformatis: prima quæque Imperij Comitia te erroris tui publice convincent. Supra diximus Compilatorem Reformatis inter cetera, quæ criminatur, etiam ascribere studium singulare res, & actiones aliarum nationum, & exterarum regionum cognoscendi: id quod negari non potest. Futile ergo est, & argutiolam redolet, quod de cœna, & prandio scurriliter subnectis. Urit te allegatio Epistolæ à Bavaro ad Blondum Iesuitam Anglum scriptæ, quanquam pag. 246 hoc dissimulare conaris. Sed apparet te irasci non me diocriter Authori, quem adulatorem regis Angli vocas, cum tu, & tui tribules hic illic in scriptis vestris Regi magnæ Britanniæ puride, atque adeo serviliter blandiamini, stolida hac opinione imbuti fore, ut hac ratione eum a generi, filiæ, & nepotum defensione suscipienda dimoveatis. Nemo nostrum, Fabi, reprehendit Principis tui munificentiam erga exteros, imo laudamus illam: nec verum est Authorem responsionis Anglis, Monachij viventibus, periculum creare voluisse: hoc tantum dicit, Principi tuo non deesse occasiones multa aulæ Anglicæ arcana expiscandi, id quod sine cujusquam injuria dici, nec principis tui munificentiæ erga exteros obstare potest. Tu autem non levi injuria afficis Regem illum, quando dicis, Si quos Romanæ religioni addictos deprehendit, carcere sæpe, & vita mulctat. Injuria, inquam, afficis mitissimum, & indulgentissimum in Romanistas regem.

Quemnam ille vita propter religionem mulctavit? Garnetum Iesuitam fortasse? Scis illum teterrimæ post hominum memoriam, & immanissimæ contra regem, Ordines, patriam conspirationis convictum pœnas publice luisse.

Sane Balduinum Iesuitam & ipsum proditionis, & feloniæ reum, & convictum Gondemario legato Hispanico incolumem abducendum clementissime concessit. Pro insigni hoc in Iesuitam beneficio tu Iesuita hominum ingratissime optimum regem publico probro lacerare non erubescis. Quod vero ad Blondi Epistolam attinet, quis adeo hebes, & naris obesæ est, quin facile intelligat sub prætextu eleemosynarum etiam alia majoris momenti, & publica à Blondo perscribi potuisse, id quod etiam verba Epistolæ Bavaricæ, paulo exactius, & attentius consideratæ, non obscure ostendunt.

Pag. 248 Fabius negat, curiositatem & industriam Reformatorum à Compilatore reprehendi, sed ait hoc Compilatorem improbare, quod Reformati arcana scrutantur, ut noceant, & innocentibus insidias tendant. Sed nullam probationem adducit, nec quidquam obstat, quo minus nos vobis longe verius, idem occinamus. Passim enim vos exploratores habere nemo nescit: habere vos, & alere illos in Protestantium commodum, & utilitatem, nemo credit.

Pag. 250 per Ironiam ais, veniamus ad alios Orbis motus, quorum etiam Catholici authores. Nos, Fabi, priores vos nullorum motuum accusavimus. Compilator, & Cognandolus nos publice multorum criminum insimularūt, omnium turbarum culpam nobis imputarunt. Author Informationis causæ nostræ patrocinium suscepit, & vos, & alios, Romanæ religionis sectatores reos esse ostendit eorum, quorum nos accusatis. Catholici Romani vallis Tellinæ reformatos crudelissime mactarunt, Hispanis incitantibus, & libertatem Duci de Feria vendiderunt, teste Bartholomæo Graumundo in historia sua, cap. 8. pag. 204, & 205. Et tamen Compilator Reformatos illorum motuum authores facit. Pauli quinti

odium

odium erga Venetos obscurum non est, nec Authori Informationis vitio verti potest, quod illum cupiditate Reip. omnibus modis nocendi, & incommodandi arsisse scripsit. Præterquam enim quod hoc in recenti adhuc est hominum memoria, etiam historiæ idem testantur. Tu ais Vallis Tellinæ incolas questos se à communi parente deseri, sed non probas: Nos dicimus Paulum turbas Grisonum fovisse, & hoc probari ex Historica Italica de Reb. quæ inter Paulum quintum, & Remp Venetam acciderunt, impressa Mirandulæ An 1624, in cujus libro 6 pag. 222 hæc verba Italica leguntur: *Giunto il Salice à Vinetia, & appresentatosi al Senato, prima fece doglianza per parte delli suoi Signori per li disturbi, che ricevevano dal Pontefice* id est, Salicius ubi Venetias venit, & Senatum adijt, primum conquestus est nomine Dominorum suorum (scilicet Rhætorum) de turbationibus, quas a Pontifice (Paulo nimirum quinto) accipiebant &c. Vides ne, Fabi, Paulum turbis Grisonum sese immiscuisse? Falleris verò quando ais Calvinistas primum apud Grisones signis claris classicum cecinisse, & proritare cœpisse vallem Tellinam Nam Magistratus, & primores Rhetorum arma necessario ceperunt, ut homicidas, & latrones, & rebelles Vallis Tellinæ Pontificios, qui Hispanis auro patriam vendiderant, in ordinem redigerent. Etsi autem vicinus Princeps quidam Vnionis privato consilio, & proprio motu Phætis aliquid pecuniæ subministravit, injussu regis Frederici, & Vnionis, tamen nullum unquam fœdus, à quoquam Vnitorum cum Rhætis initum fuit, nec id, uti Fabius opinatur, ullo modo ex Epistola ab ipso allegata elucescit. Multo vero minus ex eadem probari potest, vel regem Fridericum, vel reliquos Vnitos Grisonum turbatores esse, ut Fabius loquitur, & asserit, cum Epistola scripta sit 11 Martij Anno 1620, & ita diu post, quam Pontificij in Valle Tellina tumultuati, & cædibus horrendum in modum grassati, in ditionem, & clientelam Hispanorum, veteribus, verisque dominis desertis, concessissent. Votum Jesuitæ, cujus Fabius

pag.

pag. 254 meminit, typis excusum una cum voto contrario, suppresso authorum nomine, in Gallia superioribus annis proximis publice venale prostitit. Quod author de consilio dicit, Fabius imperite de Curia Parlamenti interpretatur. In illa enim non solet de hujusmodi rebus deliberari, sed in consistorio, sive consilio regio, & in consilio nuper a Iesuitis introducto, quod conscientiæ vocatur.

Constat enim Arnousium Iesuitam complures annos dirigendæ Regis in consilijs capiendis conscientiæ præfuisse, qui cum de primo loco gratiæ apud eundem cum ipso Luynæo contendere non dubitaret, ab aula remotus, & in illius locum Seguiranus Iesuita substitutus fuit. Nimirum, Fabi, dum Authori Informationis inscitiæ rerum Gallicarum notam inurere laboras, ipse tuam propriam imperitiam manifesto prodis. Eodem loco præfracte perseveras in errore Compilatoris, rerum Gallicarum plane imperiti, qui culpam dissidij inter Regem & matrem, Hugonotis Galliæ imputat, & eadem opera Palatinum, & alios Reformatos Germaniæ exosos reddere conatur. Sed erras, Fabi, cum Compilatore. Dissidij illius nemo ex reformatis consors fuit: utriusque partis asseclæ erant Pontificij. Partium Duces Rex, & regina mater erant. Illum Luynæus, Vitrius, & alij secuti sunt: hanc Anchreanus, Espernonius, alij, Pontificij omnes. Cur igitur tam obstinate, homines importuni, Reformatos hac in parte sine omni ratione accusatis? Sed audiamus aliud Achillæum argumentum Fabij. Gentium, tribunum militarem, ait, cum equitatu in Galliam hostili in regem animo contendentem, commeatu, & reliquis rebus adjuvistis. Primum falsum est, Fabi, favore & auxilio Electoris Palatini Gentium copias equestres coegisse. Gentius enim in circulo Westphalico procul a Palatinatu equitatum, Palatino inscio, & inconsulto, conscripserat, ita quidem lentè, ut sæpius rumor spargeretur fore, ut delectus ille plane intermitteretur. Tandem præter communem fere expectationem, ubi diu in Westphalia desedisset,

disset, opinione citius Mœno & Rheno appropinquavit cum duobus millibus, lectissimorum equitum: quibus aditum, & transitum non facile in regione plana, & aperta præcludi potuisse, omnes rei bellicæ & locorum peritos fassuros esse non dubitamus: id quod inde etiam elucescit clarissime, quod Gentio transitum nequidem Dux Lotharingiæ, princeps potens, & nobilitatem numerosam ac bellicosissimam ad manum habens, denegare ausus fuerit. In Galliam vero ituri eramus, Fabi, nisi morte Anchræana discordia finisset? Contra quem, quæso? Contra regem, ais. Sed, mi homo, Rex tum temporis non in sua, sed in Anchræi erat potestate: quin imo fama constans erat Anchræum de Picardia, & aliis Regni Provinciis sibi vindicandis, & dividenda cum Hispanis Gallia serio cogitare: Quo tempore si nos in Galliam ivissemus, nihil aliud nobis propositum fuisset, quam ut rex ex servitute, & periculo liberari, & avitum diadema, in quo tuendo patrem fidelissime adjuveramus, nostra opera etiam filio conservari posset. Bellum in Foro Iulii, & Marchionatu Monferratensi gestum, nihil ad nos: motum, gestum, finitum fuit nobis inconsultis, quippe quos non tangeret. Sabaudiæ Ducis auxiliares copiæ qua occasione in Bohemiam ductæ fuerint, supra exposuimus. Norat jam tunc ille nos publicæ libertatis, & dignitatis amantes, & pro talibus etiam hodierno die illum nos habere, res ipsa loquitur. Causam publicam, & communem nullo modo deserit: Vobis certe non accedit, id quod certo indicio est nec vos, nec consilia vestra ipsi probari. Quid garris, Fabi, pag. 256? Compilatorem hoc loco falsum fuisse negas? Debebas Informationem, sive Responsionem Germanicam inspicere, quam aliquoties diximus ab Authore pro sua agnosci, versionem Latinam, quanquam elegantem, non item. Verba Compilatoris loco allegato sunt: *Man ist der Zwinglischen und Calvinischen Schweitzer auf alle felle gentzlich versichert gewesen*: id est, Uniti de auxiliis Helvetiorum Protestantium in omnes casus securi, & certi fuerunt.

P Errat

Errat certe hic Compilator, & te etiam in eundem errorem induxit. Vos existimatis ab Helvetijs auxilia Unitis promissa fuisse, sed Unitos illa frustra expectasse. Male. Nec Unitis auxilia ab Helvetijs promissa fuerant, nec Uniti illa ab ijsdem expectabant, quippe qui Helvetios propter motus, & tumultus Rhætiæ, & propter vicinos, antiquæ ipsorum libertati insidiantes, & armatos, domestico milite ad propriam defensionem indigere viderent.

Pag. 257 cavillationi suæ colorem aliquem obducturus, Ærumnæ, inquit, tuæ credo faciunt, ut & memoria, & sensus tui hebescant. Imo, Fabi, nos speramus candidum lectorem in decursu hujus libri ex responsionibus nostris manu veluti palpaturũ complura memoriæ & alia sphalmata tua, & quod, quantumvis otio, & libris, alijsque omnibus, ad scribendum necessarijs rebus, abundes, malæ causæ pessimum advocatum agas. Tu in hoc paragrapho alienum sensum verbis Authoris affingis, & oppugnas ea, quæ ipse non dixit. Verba illius Germanica sunt. Pag. 32 in tertio membro *sagt der Compilator: der Calvinische geist habe die Bomen underwiesen den petardt anzusetzen, und mit dem fenster sturtzen feur Zu geben, lermen zu blasen, und den handel anzufangen* id est, Calvinianus spiritus docuit Bohemos crepitaculum applicare, & per præcipitationem ex fenestris eidem ignem admovere, classicum canere, & tumultus initium facere. Hæc sunt verba Compilatoris. Sequitur responsio Authoris: *Das ist lauter unerfindlich, und unbewveiszlich ding* id est. Hoc in facto nullo modo ita se haber, nec probari potest. Quid hic facit Fabius noster? Pro consueto suo candore ait Authorem fateri omnia, quæ à Palatino, & Bohemis acta fuerunt, fundamenti, & rationis esse expertia, cum tamen hoc authori nunquam in mentem venerit. Author, Fabi, dicit falsum esse, & probari non posse a Spiritu Calviniano (per quem Compilator regem Fridericum, & alios Principes Reformatos, eorumque consiliarios intelligit) Bohemos ad præcipitationem ex fenestra instructos & instigatos

gatos fuisse, hoc, inquam, dicit Author. Ubi autem dicit, Fabi, Fundamenti, & rationis esse expertia ea, quæ à Bohemis acta fuerunt? Frustra igitur exultas & gestis, authoris verba pro te, & contra illum interpretando, quorum sensum vel non capis, vel dedita opera invertis. Cur autem Bohemi, & quibus injuriis lacessiti ad præcipitationem ex fenestra devenerint, discere potes, Fabi, ex dissertatione de causis motæ nuper Bohemiæ, ex cujus etiam inspectione lector benevolus nullo negotio deprehendet vanitatem Fabii, ex nuda sua conjectura, & sine ulla probatione asserentis nonnihil consilii ab Heidelberga ad tale facinus impertitum fuisse. Calvinianam libidinem Bohemos agitasse subjicis, Fabi, sed non minus impertinenter, quam reliqua. Quis enim nescit inter Directores, & primores, qui rebus præfuerunt, & inter eos etiam, quorum capita ponti Pragensi imposuistis, vix unum & alterum Reformatæ religioni addictum, reliquos omnes Lutheranos fuisse, & viros optimos, patriæque amantissimos, quorum laudem, & memoriam nulla unquam apud Bohemos obliterabit oblivio. Quam pag 259 conditionem fers, Fabi, accipimus libentes Stabimus civitatum judicio contulerunt illę suas quotas secundum normam, & legem pactorum, & fœderis Principum portiones illis etiam assignare, & harum solutione illas onerare velle, cujus impudentiæ fuisset? Audiantur ergo, non repugnamus. Desiere tamen (inquis) cito munificæ esse, quia sapuere. Nugaris. Civitates in sustinendis communibus oneribus, & in persoluendis contributionibus, ad quas tenebantur, constanter, & magna cum laude usque ad finem unionis perseverarunt.

Pag. 260 ait Fabius Calvinistas Iuliacensem dominatum à manu Cæsaris vindicasse odio religionis, non amore juris in publico scripto justitiam obtentam fuisse, ut Catholicus successor excluderetur, &c. In paucis his verbis non uno modo Fabius hallucinatur Primum falsum est Reformatos solos hoc fecisse Nam Marchio Ansbacensis, Marchio Badensis,

P 2 dux

dux Wirtembergicus, Philippus Ludovicus Neoburgicus, & filius Wolfgangus Wilhelmus omnes Lutherani erant, & accedebat Galliæ rex, Pontifici, & sedi Romanæ addictissimus. Secundo falsum est tum temporis de excludendo successore Catholico cogitatum fuisse. Nam rex Galliæ, ipse Catholicus Romanus, in injuriam successoris Caholici quidquam fieri nullo modo permisisset. quod vel hinc elucescit, quod in omnibus Provinciis Iuliacensibus, & in omnibus civitatibus & pagis, imo etiam in ipso Iuliaco (quanquam Anglorum, Hollandorum, & Unitorum Protestantium viribus, & opera potissimum in potestatem redacto) diligentissime religio Romana conservata fuit. Cui autem tum temporis in mentem venire poterat fore, ut Wolfgangus Neoburgicus aliquando, Lutherana religione deserta, Romanam amplecteretur? Vides ergo, mi Fabi, quam stolide asseras Unitos in publico scripto tunc justitiæ prætextu us s fuisse, ut Catholicus successor, Palatinus Neoburgicus nimirum, excluderetur. Tertio non tam de provinciis Iuliacensibus ex Cæsaris, quam ex Hispanorum manu eripiendis, & Imperio conservandis quæstio erat & hæc præcipue causa, & ratio Galliæ regem, ut sibi in societatem belli Juliacensis veniendum esse judicaret, movebat. Hispanos enim de illis provinciis occupandis cogitare, & earundem commoditatibus ad debellandos Hollandos uti in animo habere, ex multis indiciis, & inter alia etiam exarticulis, Cæsari Rodolpho à Francisco Mendoza, Amiralio Atragoniæ, regis Hispaniæ legato, exhibitis, constabat. Cæterum Juliacum, Neoburgico temporis progressu ademptum, quod attinet, non odio religionis Ordines Hollandiæ, sed quia Neoburgicum de collusione cum Hispanis suspectum habebant, præsidium illius inde exigendum, & prævenire, quam ab Hispanis præveniri, fatius esse existimaverunt: & quantum ad verba, proximi heredes &c. quæ tu captas puetiliter, Fabi, attinet, illa non solum Neoburgicum, ne sis nescius, sed etiam Brandeburgicos, & Bi-

& Bipontinos comprehendunt: ita ut tu male inferas, Authore ipso fatente, Neoburgicum solum proximum heredem esse. Desine, Fabi, talium ineptiarum, quæ mire tibi placent. Quæris, quare Protocollum consiliariorum Cæsareorum allegatum fuerit? In promptu causa est; nimirum, ut liqueat aulæ Imperialis consiliarios feuda Iuliacensia pro apertis habuisse, & de iisdem Cæsari vindicandis cogitavisse.

Pag. 262. Fabius noster ait, Hollandos Mulheimense propugnaculum ædificasse. Delineatum erat pomœrium, & & utcunque contra hostiles insultus muniri cœperat, intra quod complures cives Colonienses, multi item nobiles, & alii ex ditionibus Juliacensibus ædes, privatæ suæ commoditatis causa, ædificarunt. Hanc speciem, & hæc initia oppidi Fabius propugnaculum ab Hollandis extructum, omnia in maius extollens, & more suo in peiorem partem interpretans, vocat. Udenheimum quod attinet, illius ex oppidulo in munitum propugnaculum transformatio civitatis Spirensis privilegiis è diametro contraria est. Et quamvis ibi nullum adhuc emporium constitutum sit, tamen quis scit, quid progressu temporis fieri possit? Nec ad rem facit, quod regia via per hoc novum opus in speciem intercludi non videtur. Nam quin libertas, & securitas commeandi tum ipsi Electori Palatino, tum Principibus ipsum invisentibus non parum hac ratione restringatur, nemini obscurum esse potest.

Pag. 265 putat Fabius Authorem Informationis magnis itineribus ex Hollandia Donavverdam proficisci: sed fallitur, quia Informatio in Hollandia primum lucem non aspexit, ut ille conjicit, sed in penitiore Germania conscripta, in Germania etiam edita fuit.

Mentio civitatis Donavverdanæ Fabio ingratissima est, id quod pag. 265 266 267 dissimulare nequit. Author responsionis recte dixit, Compilatorem in re seria ludere. Protestantes enim nunquã impensas vobis refusuros, quia nolunt

se ludibrio exponere. Cur Protestantes soli sese his sumptibus onerarent, cum Bavarus nomine Cæsaris, & Imperii, cuius interest hanc civitatem liberam à reliquarum liberarum civitatum corpore non avelli, excutionem contra Donawerdam susceperit? Notum est Fabi, bellum esse belluam magni rictus; sed Donawerdani bellum nemini intulerunt. Nonne autem vestros loculos a Norimbergensi senatu ante biennium, & quod excurrit, repleri postulavistis? Audesne hoc, Fabi, negare? sed magis est, ut putem te eius rei, cum hæc scriberes, parum memorem fuisse. Gloriatis pileum Electoralem jam emptum esse: fatemur. sed nemo vobis de evictione cavit: vestro periculo eum teneris, & quidem ad vitam tantum. Mendacium, vanissime Fabi, mendacissime hoc loco Authori objicis. In responsione Germanica ponit ille hæc verba: *In dessen bleibet die arme Euangelische Stadt Donavverdt ihrer freiheit an leib, und gevvissen einen vveg, als den anderen, beraubet*: id est: interim misera Euangelica civitas Donawerda libertate corporis, & conscientiæ privata remanet. Versio latina (quam tibi sæpius diximus non esse authoris) ita habet: interea tamen miseri illi Euangelicæ urbis cives omni libertate tam quo ad terrena bona, quam libertate corporis, & conscientiarum spoliati, ab hominibus omnibus derelicti permanent. Vanissime Fabi, ubi legis illa tua verba, mala fide pro verbis authoris substituta, Cives illos bonis terrenis spoliatos? Libertate ipsos spoliatos dicit Author, non bonis ipsis. Libertatem vero miseros Donawerdanos amisisse quis dubitare potest, cum ex liberis civibus Imperii Ducis Bavariæ subditi facti fuerint? Inter quę quanta sit differentia, vel ex Epistola Nuntii Caraffæ, testis omni exceptione maioris, Vienna 20 Octobris Anno 1621 (invenitur illa in Cancellaria Hispanica pag. 105) ad Cardinalem Ludovisium scripta, sole clarius elucescit. Verba Italica Caraffæ hæc sunt: *Quei popoli, che malvolentieri stanno sotto il giogo Bavarico, si crede che per tornar sotto 'l pristino Dominio Au-*

striaco

straco contribuirebbero qualche considerabil quantità de donari hoc est: Populos illos (nimirum incolas superioris Austriæ) qui inviti sub jugo Bavarico vivunt, credibile est, ut sub mitem Austriacorum dominatum redire possint, non exiguam pecuniæ summam esse contributuros. Conscientiæ libertatē Donawerdensibus non deesse Fabius subobscure innuit, sed ita sicco pede hunc locum transit, ut non immerito quis suspicari possit illum mala conscientia hoc asseruisse. Certe statim post occupationem urbis in templum primarium Iesuitas introduxistis, & quare, Fabi, cum quidem eo tempore Princeps vester prævidere non posset, quā diu Donawerda in ipsius potestate futura, & an non brevi post illa ad intercessionem Ordinum Protestantium à Cæsare in gratiam recipienda, & impensis, ac sumptibus restitutis, ex Bavari manu in pristinam libertatem vindicanda foret? Certe hæc festinatio, & præpropera Templi primarii occupatio vos, Fabi, suspectissimos hac in parte reddit. Ex illo tempore quomodo miseros cives, quo ad religionem, tractaveritis, facile colligere possunt ii, qui vestra artificia, & stratagemata, quibus in felicibus Protestantibus, sub imperio vestro viventibus, ad sacra vestra adigendis, uti consuevistis, non plane ignorant. Sed si, Fabi, absolutio à banno cives Donawerdenses gratiæ Imperiali restituit, ut tu ipse fateris, cur illis libertatem religionis, aut saltem templum aliquod, vel alium locum, ubi exercitio Confessionis Augustanæ frui possent, non concessistis? Cæsar ab illis, in gratiam receptis, nihil amplius petebat, sed omnem ipsis culpam condonaverat, omnem pœnam remiserat. Vos etiam nihil amplius petere poteratis, quam sumptuum refusionem. Unius autem templi vel ædiculę saltem restitutio actioni, si quam habetis, & juri impensas repetendi nullo modo officere potuisset. Quia autem hoc non fecistis, quod erat sane æquissimum, hoc ipso apertissime demonstratis vos hoc in negotio, & similibus præcipuè odio religionis duci, & quamvis perpetuos, ac putidissimos

simos Lutheranorum assentatores vos præbeatis, tamen in corde, & animitus eosdem non minus, fortasse etiam magis, quam Reformatos, odisse, & perditos velle. Noli dubitare, Fabi, hæc aliquando vobis in publicis Comitiis objectum, & ex vobis quæsitum iri quo jure Princeps tuus Donawerdensibus exercitium Augustanæ Confessionis adimere potuerit?

Quid enim? Nonne illi libero exercitio A. C. vigore pacis religionis ante executionem fruebantur? Nonne pacem, sive pactum religionis, Cæsar & Ordines Romanæ religionis cum Protestantibus, & hi cum illis mutuo consensu inierunt? Nonne igitur Donawerdani beneficium exercitii A. C non à solo Cæsare, & Romanæ religionis Ordinibus, sed etiam, & quidem principaliter, a toto Corpore statuum Protestantium habebant? Quomodo igitur Dux Bavariæ nomine Cæsaris, & statuum Pontificiorum exercitium Augustanæ Confessionis, quod Donawerdani non à Cæsare solo, nec à solis Pontificiis, sed præcipue à statibus Protestantibus habebant, illis eripere potuit contra tritum J. Consultorũ axioma, Eius est adimere, cuius est dare? Et cur, Fabi, Elector Saxoniæ Augustus, capto Joanne Friderico Saxone proscripto, Gothaq. & tota ipsius ditione occupata, tanquam executor ab Imperatore Maximiliano secundo constitutus, Papismum in eandem non introduxit? Tantum abest, ut ille hoc fecerit, ut etiam captivo ipsi Principi toto custodiæ tempore in ipsa Austria exercitium Augustanæ Confessionis à clementissimo Cæsare permissum fuerit.

Dices: Declarati in bannum Imperii omnia regalia amittunt. Sed libertas exercitii A.C. non potest inter regalia numerari: & legitime proscripti amittunt quidem regalia, & omnia alia feuda, quorum investituram à Cæsare acceperunt sed exercitii religionis Euangelicæ alia ratio est, uti paulo ante diximus. Absurdissimum etiam esset dictu, Bavaro executionem contra Donawerdanos nomine Cæsaris Rudol-

Rudolphi suscipiente. Protestantes tacite videri cõsensisse, ut Donavverdanos exercitio religionis Evangelicæ privaret, absurdissimum esse repetimus. Hoc per se est, & ea, quę à statibus Evangelicis Circuli Suevici, & alijs Protestantibus contra Bavaricam executionem scripta, & dicta fuerunt, & tot pro Donavverdanis interpositæ intercessiones, contrarium evidentissime demonstrant. Denique, si privatio exercitij religionis Evangelicæ est pars illius pœnæ, quæ in statum aliquem Protestantem proscriptum decernitur, quid de statibus Imperij Pontificiis proscriptis dicendum erit? Nam aut in pari delicto Protestantes severissime (nulla enim major pœna esse potest, quam exercitij suæ religionis amissio) puniri, Pontificios vero impunitos abire debere dicendum erit: quod est rationi, & æquitati parum consentaneum; aut Pontificios in bannum declaratos exercitio suæ etiam religionis necessario privandos, imo quia contrariorum eadem est ratio, ad exercitium religionis Evangelicæ vestro exemplo adigendos esse.

Paulò post Fabius insipide admodum Authori affingit ipsum asserere Electores Ecclesiasticos unam Epistolam ad Bavarum palam, alteram vero circumveniendi Saxonis ergo clam scripsisse. Nihil minus, mi homo. Unam Epistolam scriptam fuisse ad Bavarum à toto collegio Electorali, & ita ab ipsis etiam tribus Ecclesiasticis Electoribus. Epistolam vero hanc nihil profuisse miseris civibus exulibus, qui illam Norimbergæ ab Electorali collegio impetraverant, quia Bavariæ Dux vigore secretæ cum Ecclesiasticis caballæ, id est, correspondentiæ (ut vulgo loquuntur) optimè sciebat, quem intellectum illa Epistola apud Ecclesiasticos, quo ad pacem religionis haberet, & quomodo esset interpretanda. Debebas ergo, Fabi, inspicere textum Germanicum Informationis, ubi caballæ mentio fit, nulla autem occultioris Epistolæ. Et ita omnes facile vident te absurde authorem ad exhibendas Ecclesiasticorum Electorum occultas literas velle astringere. Non invidemus autem Donavverdæ suam felicitatem, dum-

Q modo

modo tu, Fabi, vera prædices. Sed qua ratione felix illa dici potest, cum libertatem, & religionem simul amiserit? Agere pacifice, & agere feliciter, differunt, Fabi: pacifice & quiete etiam servi vivere possunt: libera civitas feliciter vivere, amissa libertate, vix potest. Et si verum est Donavverdam adeo felicem esse, quid restat, nisi ut etiam Ratisbona, Ulma, Norimberga, & reliquæ vicinæ urbes libertati suæ renuntient, & se sceptro Bavarico submittant? Authorem responsionis, aliosque consiliarios Palatinos tu dicis jam in aliena terra vivere, alieno coelo frui. Sed quotum quemque putas eorum ex Palatinatu oriundum fuisse? Vix decimus quisque, mi homo, ad Rhenum natus erat. Imò tu, Iacobe Kellere, Seckingiæ supra Basileam natus in terra jam aliena vivis, & quadram alienam Monachij lambis, & si interdum lautius cum tuis commilitonibus cœnas: hoc bonis, & facultatibus viduarum, & pupillorum, quos miris modis inescare didicisti, acceptum ferendum est. Quod ad Moisen attinet, perge, si vis, scurram agere: nos non desperamus, quemadmodum olim Populus Dei ex servitute Aegyptiaca liberatus fuit, sic etiam fore, ut omnipotente Dei o. m. manu tandem etiam miseri Donavverdani a jugo Bavarico, à Missa, & sacrificulis Romanensibus liberentur. Locus hic monet, ut paucis attingamus, Iacobe Kellere, quam & hic, & passim tum in hoc scripto, tum in litura tua, præter decorum omnis civilitatis & humanitatis obliviscaris, exemplo tuo docens verissimum esse, quod quidam scriptum reliquit, à causis ad personas solere descendere illos, qui rationibus, & argumentis destituuntur. Ab authore Informationis assertum fuerat, civibus quibusdam Donavverdensibus intercessionem Collegij Electoralis nihil apud Principem tuum profuisse. Nihilne aliud erat, quod tu, Iacobe, responderes, nisi ut Authori, ex Palatinatu non oriundo, alienam terram, alienum cœlum, imo alienam quadram ita acerbe, & quidem falso, exprobrares? Hominem etiam honestissimo loco natum, & liberaliter educatum, &

etiam-

etiamnum non parasiti in modum, sed honestissime, & extra contemptum viventem, parasitorum miserrimum, ipse Pontificis Romani & Principis cui cum toto tuo grege Iesuitico impudentissimus parasitus, & putidissimus adulator, contumeliose appellares? Cardinali Cleselio alienam terram, alienum cœlum, alienam quadram meliori jure posses objicere, Iacobe, cujus tamen honorificam in hoc tuo libro mentionem facis, nec nos reprehendimus. Sed audi, Iacobe, quæso. Nonne vos Cardinalem Cleselium, hostem, & proditorem domus Austriacæ publice à vobis vocatum, & omnibus bonis mulctatum, ad perpetuos carceres condemnaveratis? Sed Pontifex Gregorius XV captivi Cardinalis, &c, causa non legitime cognita, condemnati, misertus, fortassis etiam suspicans ex odio privato ipsi manus injectas fuisse, pro sua authoritate effecit, ut non tantum Cleselius, ex carcere Tyrolensi liberatus, Romam mitteretur; sed etiam, Capitibus accusationis, & toto processu ritè reviso, & sine affectibus examinato & reformato, dignitati, & maximæ parti bonorum restitueretur. Unde etiam Cleselius sæpe adhuc usurpare dicitur hæc verba: Nummi mei, & inimicorum meorum calumniæ me oppresserunt. Quod si Cleselius per calumnias inimicorum oppressus fuit: quid Electori Palatino evenisse, & quam ab apertis illius hostibus, qui in processu Ratisbonæ instituto judices sedebant, in eo condemnando justitiæ & æquitatis rationem habitam fuisse putandum est? Si nummi Cleselij ipsum oppresserunt, & si olim Romanus ille, cum ad supplicium duceretur, exclamavit, ô villa mea, cur me interficis? nos optimo etiam jure dicere, & queri possumus, pileum & titulum Electoralem Bavaro, Stratam montanam, quam vocant, Moguntino, & alijs alia fertilissimi Palatinatus loca potissimam Electorem Fridericum adeo hostiliter persequendi, &, quantum in ipsis fuit, omnibus fortunis evertendi causam fuisse. Hæc tibi, Iacobe Kellere, occasione alienæ terræ, alieni cœli, alienæ quadræ, à te Palatinis adeo mordaciter expro-

beata, hoc loco in memoriam revocandā esse duximus, ut appareret te rectius facturum, si posthac ab ista linguæ procacitate tibi temperaveris. Vides enim omnia de genere hoc in te, tuosque retorqueri, vobisque cum fœnore reponi posse.

Pag 268 Jesuitas omnium hominum integerrimos & sceleris puros esse, & à turbatum consiliis abhorrere asseris, qua de re paulo post fusius agemus.

Pag 271. Fabius non dissimulat Pio V. Jesuitas auxilio fuisse, ne (ut ait) passim omnia sacra verterentur. Redierat ergo res ad triarios, id est, ad Iesuitas, & nihil spei, nihil præsidii supererat in reliquis Hierarchiæ Romanæ militibus, qui pro illa tot secula fortissime propugnaverant. Soli ergo sapiebant Iesuitæ, reliqui volitabant velut umbræ: ad summam, Unus ordo Iesuitarum Romanam restituit rem. An verum hoc sit, nec ne, nos Fabi, non magnopere laboramus: hoc scimus, Dominicanos, Carmelitas, Franciscanos, & alios Ordines nullo modo hanc laudem a vobis sibi præripi passuros: sed pergamus. Subnectis Moguntina aula olim Lutheranos non horruit, quia Germanici animi fuerunt. Non obscure ergo hic innuis, Lutheranis amplius Germanicos animos non esse, & propterea eos hodierno die ab eadem aula excludi. Addis: Calvinistis ideo locus non est, quod Chamæleontis genuinom colorem nemo noscat, variatur in horas. Sed, Fabi, nemo Reformatorum cupit vivere in aula Moguntina, à quâ jam etiam Lutherani arcentur: quos tamen à vobis tanquam fratres, imo tanquam propriam carnem, & sanguinem, amari Elector Coloniensis Doctori Mattiæ Hoe sanctissime, & pene jurato affirmavit, ut nosti. Quęrenti causam mihi tu, Fabi, ita respondes, ut partim Lutheranis modernis Germanicos animos esse neges: partim id ideo fieri innuas, quia Reformati variabiles sunt quę responsio non poterit lectori non risum movere, recordanti vos ad quæstionem, cur Lutheranis Bohemiæ, Papismum amplecti abnu-

abnuentibus, ex negro dissidendi necessitatem imponatis, ridicule plane in contumeliem modum respondere solere, quia Calvinistæ Bohemiam turbarunt, & contra Cæsarem rebellarunt. Pr namus verum huc esse rid quod Bohemi tamen in scriptis suis negant, nec nos eone educimus, quo jure possunt Lutherani puniri propter delictum, quod vos Reformatis ascribitis? Non ergo, Fabi, tibi placere in isto sacumine, & commento, quo Jesuitas excusare conaris, & omni culpa innovationis, & mutationis liberare. Nonne omnibus constat, ex quo illi nidificare in Germania, juventutis studia regere, publice concionari, auriculares confessiones audire, & conscientes absolvere coeperunt, in Episcopatu Herbipolensi, in Bavaria, in Stiria, & aliis regionibus reformationes, & persecutiones invaluisse, & multa hominum millia a professione religionis Lutheranæ ad Papismum defecisse, metu & minis exilii, variisque aliis violentis modis adacta fuisse, nulla habita ratione intercessionum, quas Electores Saxoniæ Augustus, & Christianus, & alii Principes Protestantes iterato, & ferio pro miseris hominibus interposuerant. Inter hunc agendi modum, Jesuitis auctoribus introductum, & illum, quem priores sive Episcopi, sive alii Principes, religioni Romanæ addicti, observaverant, plurimum interesse, Christiano Secundo, Saxoniæ Electori, visum fuit, & proinde non semel in verba ab Authore referimus allegata (quæ Fabius pro acumine suo eludere, in alium sensum detorquere conatur) erupit. Illud vero etiam dubio non caret, quod subjungis; Neque inter nos, vereres, Catholicos discrimen religionis est. Cette vos, Iacobe, nonnulla nova priscis vestris dogmatibus adjecistis. Nostri enim sub Clem. VIII quosdam Jesuitæ sodales novas aliquot quæstiones propofuisse; nempe, Clementem Octavum, nunc Romæ sedentem, eredere, legitimum B Petri successorem, non esse ex articulis fidei, non confessionum, quæ inter Ecclesiæ vestræ sacramenta numeratur per Epistolam, & per

cursores peragi posse. Non te fugit etiam a Ludovico Molina, vestri Ordinis sodale, novam quæstionem circa idem tempus propositam fuisse, de gratia Dei cum libero arbitrio ad salutem hominum coöperante. In omnibus tribus quæstionibus superioribus vos, Iesuitæ, Dominicanos, aliorumque Ordinum Monachos adversarios habuistis, & quæstiones vestræ, tanquam ab hominibus per otium lascivientibus, & doctrinæ suæ opinione inflatis, alieno plane tempore motæ, in ortu suo magno consensu rejectæ fuerunt. Præterea historiæ testantur Ferdinandum Cæsarem, & Albertum Ducem Bavariæ, avum Principis tui, a Patribus Concilii Tridentini serio postulasse, ut propter prægnantes & gravissimas causas sacerdotibus conjugium, & in Sacra Cœna calix Laicis concederetur. Legatos etiam regis Galliæ Tridenti eodem tempore idem petiisse.

Hæc autem petita & postulata Jesuitæ omnino rejiciunt, & impietatis condemnant. Manifestum ergo est, inter illos veteresque Catholicos Romanos religionis esse discrimen. Quid, quod Iesuitæ, Patavio tempore bruti fulminis a Paulo V. contra Venetos jacti, excedentes, scriptum post se reliquerunt, continens 18 regulas sub hoc titulo: Regulæ aliquot, servandæ, ut cum Orthodoxa Ecclesia vere sentiamus? Quid ais, Iacobe Kellere? Nonne sole meridiano clarius hinc elucescit, Iesuitas hæreticos sive schismaticos á reliquis Catholicis Romanis verissime appellari posse? & falsum esse, quod tu, Iaçobe, asseris, inter Iesuitas, veteresque Catholicos Romanos discrimen religionis nullum esse? Si quis vero contendere velit veteres Catholicos doctrinæ varietate à Iesuitis superari, nos quidem rem in medio relinquimus: Hoc tamen pro certissimo statuentes, si fortassis hi plus scientiæ habent, tamen illos longe plus conscientiæ habuisse.

Carbones, Fabi, in Cancellaria vestra, quos lector invenit, sunt litteræ Palatinorum & aliorum, truncatæ, & per glossas

vestras,

vestras, atramento calumniæ tinctas, in alium sensum detortæ, sunt ingerrimi Bavarici sales, sunt argutiæ, sunt cavillationes: his Palatinos tam atros, quam carbo est, reddere laboratis: hæc pro clarissimis probationibus venditatis, & Palatinos sua manu convinci clamatis. Hos igitur Carbones lector inveniet in Cancellaria vestra, cujus titulus, & frontispicium longe alia pollicetur. Excessum aliquem in consilijs, ad libertatis conservationem tendentibus, ab Vnitis cõmissum fuisse, nullo modo Author incipit confiteri, ut perperam à Fabio pag. 274. asseritur. Dicit author, etiamsi excessus aliquis sive error commissus esset; tamen nullum inde crimen contra Imperium & Cæsarem probari posse; id quod verissimum, & juri consentaneum esse nemo negabit, Fabio, qui sub nomine I. C. lectores fallit, frustra contra juris principia disputante. Ponit ergo hoc author, uti sæpe fit, sed non concedit, nec fatetur. Quæ de Europa concussa, regnis raptis, terris alienis expilatis &c. addit, illa sunt mera petitio principij, ut sæpius dictum fuit. Suavis autem est Fabius pag. 275, ubi recte commemoras, ait, militiæ mala; sed quis tam immane bellum concivit? Agnoscimus, Fabi, artem tuam lectorem à proposito astute abducentis. Sed nonne omnes vident ab Authore non commemorari mala militiæ, ut vis; sed recenseri fallacium & lubricarum sincerationum (ita à vobis vocantur) & declarationum vestrarum exempla: quæ ut tu declines, mala militiç commemoras, & de eorum causa differis, de qua re tamen hoc loco non agitur. Mirum autem est te tam confidenter publice asseverare, nulli mortalium promissam à vobis immunitatem, cui illibata fide servata non fuerit. Sane in libello, nuper impresso, cui titulus: Sinceratio sincerationum: multis exemplis contrarium demonstratur: quo lectorem brevitatis causa remittimus. Tu de vicinis lunæ locis, & pensilibus hybernis, more tuo scurriliter ludens, blateras: sed notius est, quam ut ridendo tegi possit, exercitus vestros, cum hyberna commoda in vicinis Moguntini, & aliorum Ligistarum

rum regionibus habere possent, Protestantium cervicibus impositos, eorumque ex facultatibus sustentatos fuisse. Quam Fabius pag. 278. culpam rupti pacti Ulmensis Mansfeldio adscribit, illam Uniti ex castris prope Wormatiam mense Octobri anni 1620, & ita anno ante, quam Mansfeldius in Episcopatum Spirensem cum copijs suis veniret, Moguntino, Spirensi, & alijs Ligistis in instructione, sive propositione Legati, ad regem Daniæ missi, verissime imputaverant. Moguntinus enim Marchionem Spinulam, cum exercitu Palatinatui inferiori appropinquâtem, per ministros, sive officiales, quos vocant, suos enixe adjuvetat, & cum eodem, quandiu in Palatinatu hæsit, uti etiam postea cum Corduba, secreta consilia agitaverat. Spirensis idem fecerat, uterque idem facere pergebat, idque contra expressa transactionis Ulmensis verba. Male itaque comiti Mansfeldio ejusdem transactionis violatio ascribitur, quippe qui in autumno Anni 1621 demum cum suis copijs in inferiorem Palatinatum, obsidionem Franckendalij soluturus, descenderit. Ad superiorem Palatinatum quod attinet, & an in illo Mansfeldius Bavarum hostiliter, ut Fabius vult, lacessiverit, ex sequentibus dijudicare difficile non est. Militabat Mansfeldius regi, & Ordinibus Bohemiæ, & belli Bohemici reliquiæ erant copiæ illæ, quas in confinio Bohemiæ, & superioris Palatinatus habebat. Nonne autem licebat illi, salva transactione Ulmensi, bellum illud continuando loca illa, quæ adhuc in fide erga regem, & Ordines perseverabant, pro viribus tueri? Dices in Palatinatu hostiliter Bavarum lacessivit. sed nemo non intelligit, illum, cum à Tillio ab una, & a Bavaris, ab altera parte premeretur, vim vi repellere, & sese defendendo vos offendere licite potuisse. Sed, ut dicamus, quod res est, vos Palatinatus superioris invadendi occasionem cupide arripuistis, quem una cum Electoratu, per solenne diploma multo ante vobis promisso, spe jam devoraveratis. Promissa vestra quod attinet, vos per pactum Ulmense pollicitei estis, vos nullo

modo,

modo, nec ullo sub prætextu, quicunque tandem excogitari posset, Palatinatum vi, & armis aggressuros: hoc non servastis. Excusationis causas duas allegatis. Prior est, pactum Ulmense jam ante a Mansfeldio violatum fuisse: hanc supra refutavimus. Posterior est, promissa vim non habere, cum quis se Magistratui suo non obediturum promittit. sed hæc etiam nullius momenti est. Nam non promisistis, vos Cæsari non obtemperaturos, sed promisistis vos nullo sub prætextu Palatinatum armis aggressuros in eo fidem fregistis. Nec hic debitæ Cæsari obedientiæ allegatio & prætextus vos culpa liberare potest. Princeps enim tutus non magis ad executionem sententiæ banni contra Palatinatum suscipiendam compelli potuisset, quam Elector Saxoniæ, & alij Principes, quos aliquoties invidiam hujusmodi odiosarum executionum deprecatos fuisse, & sese excusasse, toti Germaniæ notum est. Non est autem, quod Authorem Informationis falsi arguas. Ille enim non interfuit tractatui Ulmensi, nec cum Cancellario vestro quidquam egit ab alijs, qui & Ulmæ tum temporis fuerunt, & cum Cancellario aliquoties contulerunt, relata bona fide suæ Informationi inseruit. Cancellarium vestrum (non semel hac de re interpellatum, & monitum) non fugiebar, Unitos per generalia verba, & nihil plane excludentia, etiam banni sententiam intelligere: sed ille dicebat, sperare se, non eo decursum iri, & superesse adhuc alia ad pacem perveniendi media. Quæ cum ita sint, judicent jam æqui, & candidi rerum æstimatores, an non vos malæ fidei hac in parte, & promissorum violatorum merito argui possitis.

Pag. 280 ais, Fabi, Bavarum rebus suis integris, nostris fractis, ad Ducem Wirtembergicum pacis causa misisse, & ideo laudandum esse. Mi Fabi, non tam pacis amor, quam metus novorum exercituum, qui pro tuenda publica libertate diversis in locis magno animorum ardore conscribebantur, præcipua Cancellarium vestrum Stutgardiam mittendi causa fuit. Animus enim idem, in Palatinum præcipue, trux manebat,

bat, idque, periculo nonnihil discusso, statim apparuit. Moliciones vestræ apud Pontificem, & machinationes, ad agnatum, & de vobis non male meritum Principem, avito patrimonio, & dignitate spoliandum, tendentes, ipsis Italis Romæ, & alibi detestabiles visæ sunt, quidquid tu de honoris insigni, quod videretur secundum te Bavarus meruisse (revera enim non meruerat) pro more garrias.

Pagina 282. Fabius irascitur Authori informationis ideo, quod scripsit Heidelbergam vili modo (*ita enim interpres vertit verba Germanica, liederlicher weise*) in Tillij potestatem venisse. Putat enim hoc partim in propugnatorum, partim in oppugnatium injuriam vergere. Sed errat. Præsidiarij, & cives, qui maxima ex parte fortissime hosti restiterunt, & officio suo magna cum laude satisfecerunt, ita noti sunt omnibus, ut à paucis quibusdam ignavioribus, quorum sive inertiam, sive temulentiam aditum Bavaris præter omnem expectationem patefecisse constat, facillime discerni possint. Extollit Fabius virtutem Tyllianorum, sed communis opinio est, si exiguus numerus exercitatorũ peditum ad prius præsidium addi potuisset, Bavaros tam cito Heidelbergam expugnaturos non fuisse.

Eadem pag. de Bibliotheca Heidelbergensi agit, quam Romam mittere vanitatis fuit non vulgaris. Rectius enim in Germania, & in ipsa Bavaria, custodiri poterat. Favorem Pontificis aucupatos vos fuisse, Fabi, non negas, quippe qui magnopere vobis necessarius esset in eum finem, ut Gregorij authoritas omnem scrupulum Cæsari eximeret, qui illum à proposito pilei Electoralis vobis quam primum conferendi avocare posset. Quam multi sint illi, qui hunc Principi tuo optarint, nescimus: neminem præter Pontificem postulasse existimamus. Cæsari, ne daret, Electores Saxoniæ, & Brandeburgicum publice dissuasisse non ignoras, non quod inviderent, sed quod è re Imperij non esse judicarent. Exercitum Ligæ, prout vobis expedit, modo Cæsareæ Majestatis, modo obedi-

entium

entium Electorum, & Principum exercitum æquivocando appellatis. Exercitum vestrum Cæsaris exercitum nominatis, ut indignationem & odium Protestantium, quorum ex facultatibus aliquot jam annos illum sustentatis, in Cæsarem derivetis.

Pag. 281 iterum fallitur Fabius, existimans Authorem informationis inde usque ex Batavia gestus Bavari eos observare voluisse. Nam Author Informationem in media Germania, & procul à Batavia conscripsit. Non de arcanis cordium, sed de cogitationibus, & adfectionibus, quæ se interdum per exterius aliquod indicium produnt, Author loquitur; ut ex exemplis ab ipso allegatis patet. Fabius in exemplo de Saxone, id est, in scirpo nodum quærit. Neque enim ad rem quicquam facit, quod ait Nuntium rei ignarum fuisse, utpote Italum, non Germanum. Nam illi, quorum sermones, & judicia de Electore Saxoniæ Nuntius audivit, sunt certe Germani, & Catholici Romani, quibus notissimus idem Elector. Quæ igitur Nuntius Caraffa ad Nuntium Bruxellensem Vienna scripsit, illa profecto ex relatione Germanorum Pontificiorum, qui ex aula Imperiali, & Bavarica diversis vicibus Dresdam ablegati fuerunt, hausit. Ipse enim rei ignarus erat, ut Fabius ingenue hic fatetur. Si igitur Nuntio ignoscendum est, quia de notiore aliter judicasset, ut itidem Fabius asserit, sequitur, illos qui talia retulerunt Nuntio, veniam nullam mereri. Et cui unquam persuadebis, Fabi, Nuntium de veritate eorum, quæ ipsi relata fuerant, dubitasse? Frustra autem, Fabi, objectas Palatinis consultationes à vobis nuper editas, quas pro suis nullo modo agnoscunt, ut supra etiam diximus. Vin tu autem negare mi homo, interdum ex Austria, & à vobis Dresdam aliquos ablegari? Publice hoc constat, & nominari à nobis internuntii possent, si vestrum exemplum in aliorum Principum ministris infamandis imitari vellemus.

Falsissimum est, quod tu pag. 286 denuo inculcas, nos mi-

ra & nefanda, nostra manu teste, de Saxone Electore scripsisse. Exhibe, sodes, manum nostram. Cur tu nos alienæ manus, alienę culpæ reos facis? Indagate, si vultis, verum authorem Miscellaneorum, quæ vos sublesta fide sub specie Protocolli Heidelbergensis typis excusa in vulgus sparsistis, & illi dicam scribite: fortassis non sine responso abibitis. Innoxia, quæ tu vocas, senioris Bavarię Principis verba nequaquam malitiose Author informationis exenterat. Sed pone ipsa Germanica, quę hic allegas, verba: *Daß Saxen gar zu viel respectieret vverde*: facis ergo injuriam Authori, & supinæ certe negligentiæ est te Germanicum textum non inspexisse. Interpres quidem in sua versione Latina dicit, Saxoni nimium honoris, & respectus tribui: sed in eorum interpretatione tu adeo misere te torques, ut vos excusando adhuc suspectiores reddere videatis. Honor enim, & observantia à respectu separari nequit. Si ergo secundum te, & secundum verba Epistolæ allegatæ Saxo nimis respicitur, sequitur etiam eum nimis honorari, quod tu negas, addens illum tantum plusculum timeri. Ecce ergo, quibus tricis te involvas. Tu dicis plusculum timeri Saxonem, senior Princeps autem dicit nimium illum respici: Hæc autem diversa esse nemo non videt.

Aliud enim est timeri, aliud respici: nec omnis, qui timetur, respicitur, nec omnis, qui respicitur, timetur.

Hoc sane certum est, homines eum quem timent, sive metuunt, etiam odisse. Unde sequitur vos Saxonem, quem à vobis timeri dicis, etiam odisse. Nosti enim vetus illud, Iacobe: Quem metuunt, oderunt, quem quisque odit, perisse expetit. Quidquid sit, tam operosa, & adeo titubans excusatio valde te suspectum facit, nec quidquam tibi est præsidij in blanditijs, quibus Saxoni obrepere conaris. Constat illum certas ob causas in bello Bohemico Cæsari suppetias tulisse: veruntamen nec vos in rapiendo Palatinatu adjuvit, nec Electoratus translationem Ratisbonæ approbavit, ne

ne hodierno quidem die serio illam probat. Si quid vobis, importunis precibus fatigatus, indulsit, studio, & amore qualiscunque tranquillitatis publicæ, non animo translationem, semel à se dissuasam, & improbatam, & precarium ac temporaneum vestrum titulum corroborandi, fecit.

Pagina 288, ait Fabius de Lituræ auctore scriptorem Informationis nimium suam conjecturam fallere. Atqui cum Responsio ad Cancellariam ederetur, nondum prodierat in lucem Litura. Est ergo hoc peccatum memoriæ, & credibile est Fabium non de Litura, sed de Cancellariæ Anhaltinæ auctore loqui voluisse. Risum autem vix tenebunt, qui hæc verba Fabij legent: Bonum publicum Bavarum ad bellum movisse, quibus refutandis ut immoremur, lectorem à nobis expectare non putamus, cum ipse satis per se dignoscere possit, quid distent æra lupinis. Fatetur promissum a Cæsare fuisse Electoratum Fabius, sed ante bellum certe fuerat promissus, imo ante quam Bavarus exercitum colligeret. unde facile conjici potest, etiam privatum hunc Electoratus cujus ardentissimo desiderio illum flagrasse notum est, respectum præcipue eundem ad auxilium Austriacis ferendum stimulasse. Pollicitis quidem standum est, Fabi, sed propter privata vestra commoda non urgenda erant, nec importune exigenda promissa Cæsaris, qui, ut vobis satisfaceret, nec gratiam vestram effunderet, necesse habuit ad translationem Electoratus decurrere, quantumvis bini Electores seculares validissimis rationibus eam dissuaderent, & Imperium majoribus motibus implicituram esse prædicerent.

Pagina 289 nocentissima consilia, & facta Reformatorum denuo vocat per familiarem sibi petitionem principij, ut supra sæpius demonstratum fuit. Consilia illorum, & facta, quæ semper una cum reliquis Unitis, & Protestantibus ad publicæ libertatis conservationem direxerunt, ad exitium Imperij pertinuisse, nec probasti hactenus, Iacobe, nec unquam probabis. Libertatem vero Evangelij cur solis Refor-

matis maligne objectas, cum illa omnes in universum Protestantes concernat? Ante motus Bohemicos nulli civium religionis libertatem defuisse, exempla Donawerdæ, & aliarum Sueviæ civitatum falsum esse ostendunt. Anrecte, & prudenter feceritis, literas & scripta, quæ Anhaltina vocatis, tanta cum festinatione edendo, tempus docebit. Quod vero etiam non integra, sed truncata, & per virulentas glossas & calumnias in alienum sensum detorta, & gravissimis Principum, aliorumque Unitorum statuum Imperii, & multorum virorum dignitate, rerum usu, & doctrina præstantium, qui ipsis à consiliis, ac secretis sunt, aut fuerunt, accusationibus referta edidistis, de eo habemus quod merito conqueramur, & harum criminationum vobis ratio suo tempore erit reddenda. Lætitiam victoriæ ut sentiatis, & vel pueriliter exultetis, ac gestiatis, per nos licet: veruntamen modum hac in parte servare pulchrum, & prudentiæ esse omnes sapientes semper existimarunt. Apostrophe tua ad Plessium, ineptissima est, & à vero alienissima. Nunquam Palatinus ab ipsius consiliis pependit, nunquam ille Palatino suasit, ut se, suaque fato committeret, in aliena involaret, incerta spiraret. Nunquam ille (repetimus) talia suasit. Quid hinc sequatur, Fabi, facile vides, dictum intelligenti sat est.

Quid porro, mi homo, cum Authore informationis de injustitia causæ Bohemicæ, cuius ille defensionem non suscepit, digladiaris? Si vir es, Deductionem Bohemorum, & Dissertationem Tomsonii refuta. Deinde ex infelici belli eventu ex nostra parte iterum argumentaris nos malam causam fovere, & superos nobis esse iratos, quia nunquam nobis victoriam ullam largiti sint. Sed vestri etiam, Jacobe, aliquoties superos minus faventes experti sunt. Præterea merito considerare debebas nondum esse debellatum, nec Jani templũ in Germania clausum, & nondum omnium dierum solem occidisse. Rectius igitur faceres, si ab ista abstineres jactantia, quæ te apud discipulos Seminarii tui declamantem vix

decere

decere posset, hoc autem loco, & præsertim toties repetitam, viris cordatis, & judicio præditis nullo modo probatum iri existimamus. Maximilianus Austriacus à parte exigua Polonorum · Fridericus ab omnibus Bohemiæ, & incorporatarum Provinciarum Ordinibus unanimi consensu electus fuit, & propterea Friderico minus de validita re & jure electionis dubitandum erat, quam Maximiliano, qui, utpote à paucissimis electus, reliquos omnes alienissimos, & armis etiam reluctantes experiretur. Quæ Philippum 2. regem Hispaniæ de urbe Lutetia scripsisse Author informationis commemorat, nemo in dubium revocabit, qui in historiis Gallicis legerit Epistolam Sedecimvirorum Parisiensium, ad eundem regem scriptam 20 Septembris Anni 1591, qua illi disertis verbis se & urbem sceptro & imperio Regis Philippi submittunt. Quidni ergo Lutetiam suam vocasset? Contra fidem earundem historiarum Jacobus negare sustinet Philippum ea tempestate exercitum in Galliam misisse, ut eam sibi vindicaret, aut, quod idem est, in filiam natu majorem transferret, ad quam pater regnum illud jure pertinere dicebat. Nonne ille filiam eandem, regni heredem ab Ordinibus declarari per Ducem Feriæ flagitabat? Nonne ille præter copias, quas jam in Gallia habebat, novos potentissimos exercitus sese missurum, & electionem filiæ omnium suorum regnorum viribus tuiturum esse publice promittebat? Oportet plane hospitem in Gallia, aut graviter impudentem esse qui hæc neget. Sub finem excusat pasquillorum, & insultationum Bavaricarum licentiam per hypotheses, quas nos sæpe supra negavimus, & per novas hyperbolas, quas flocci facimus.

Pag 298 Fabius sibi ipsi contradicit. Nam lector meminit illum in decursu huius libri Palatinos, tanquam miserrimos, afflictissimos, & abjectissimos omnium hominum depingere, quibus nec animi, nec virium quidquam supersit, ad summam, qui cum re consilium amiserint. Hic autem eos

eos plenos animi, plenos vigoris esse, nec malis cedere, sed contra audentiores ire non dissimulat, ita tamen ut pertinaciæ cuidam ascribere hoc videatur, quanquam illos in notissimis defensionis & inculpatæ tutelæ terminis versari, & manere luce meridiana sit clarius. Orationem Pauli Æmilii victoris ad victores juvenes Romanos, quos ad moderationem in rebus secundis adhortatur, insulsissime ad Palatinum & ad consiliarios eius dirigit Fabius, res adversas, id est, infelicem Pragensis prælii eventum, illis exprobrans, plane contra mentē Æmilii, qui victores in secundis rebus nihil in quenquam supebe consulere debere dixit. Cæterum cur Iacobe, Camerinam de Jesuitarum facinoribus moves? Nobis nullum cum Iesuitis bellum est, exteris præferrim. Scimus Theologis nostris concertationes scholasticas, & Theologicas cum Beccano, & nonnullis aliis Jesuitis fuisse. Consiliariis Palatinis politicis nihil unquam cum ipsis fuit negotii. Primus omnium Compilator Cancellariæ Anhaltinæ consiliarios Palatinos publice infamavit, & ipsis, ac religioni reformatæ, & Spiritui Calvinistico (quem vocat) omnium malorum, & turbarum in Germania & vicinis regnis culpam imputavit. Quis ergo non videt Compilatorem Authoris informationis latissimum de Jesuitis etiam aliquid dicendi campum aperuisse? Compilatoris patrocinium tu, Iacobe, suscipiens, Authorem omnia comminisci de Iesuitis, nec quidquam facinorum, quibus illos onerat, perceensere, aperte scribis. Provocas itaque nos, & ad fidem Authoris liberandam invitas, & pene reluctantes ad hoc genus duelli pertrahis: imo jubes quodammodo; jubenti igitur parebimus. Ad rem ergo ut veniamus, quæris, Iacobe, quibus unquam bellum Jesuitæ moverunt? Erga quem Regem, aut Principem reverentiam exuerunt? Ubi adversus magistratum rebellionem aut cœperunt, aut aluerunt? Addis: Ne in Veneta quidem turba pulsi Iesuitæ ob ullum facinus, sed quia illis fixum sedebat Romani Pontificis mandato parere. Ad hæc

hæc omnia & singula audi, Iacobe, quid in historia particulari de rebus quæ inter Paulum V. & Rempubl. Venetam acciderunt, Anno 1624 Mirandulæ excusa, respondeatur lib. 3. pag. 96, & sequentibus, quorum verba, ex Italico sermone in Latinum fideliter conversa, ita habent: Interea dum hæc Venetiis peraguntur, Jesuitæ tum Romæ, tum in aulis Principum omnia sinistra officia contra Rempubl. præstabant extra Italiam, & in Italia in civitatibus, in quibus degebant: serentes multas calumnias tam in colloquiis privatis, quam in publicis concionibus, & in ditione Reipubl. per literas, quas ad complices suos scribebant; evocabant etiam sibi addictos ad confinia. ingrediebantur ipsi in ditionem Venetam sub mentito habitu & incognito, ad sinistros sermones spargendos: impertiebant varias indulgentias illis, qui interdictum observarent, & qui alios ad observationem persuasionibus suis adducerent, aut aliquo pacto causam Pontificis adjuvarent. Scripserunt litteras falsas, & sparserunt sub nomine Reipubl. Genuensis, velut scriptas ad Rempubl. Venetam, & alias disseminarunt multis in locis, ab homine illis addicto sub nomine civitatis Veronę ad civitatem Brixiam scriptas: Quæ omnia cum senatus cognovisset, jussit formari processum eorum, quæ tum nuper in hoc negotio, tum præteritis temporibus in aliis rebus seditiose à Iesuitis facta fuissent. Quantum igitur ad recentiora attinet, abunde probatum fuit, in Concionibus illos in Remp. invectos fuisse, vocando illam hæreticam, Lutheranam, tyrannicum Imperiũ & abominabile, & cũ innumerabilibus aliis hujusmodi Epithetis, idque Ferrariæ, Bononiæ, Parmæ, Mantuæ, Barii, Panorami, & aliis in locis: item ipsorum opera, & suggestione evenisse omnia illa sinistra, quæ in Hispania & Bohemia Legatis Reip. acciderunt: in Francia, & Polonia illos tentasse Remp. variis injuriis afficere: imo in ipsa Anglia apud Catholicos illius regni eosdem plurima contra Remp. molitos esse, reprehendentes Remp., quod & Oratorem apud il-

S lum

lum regem aleret, & vicissim Legato regis Venetis locum daret: allegantes pro excusatione reliquorum Principum, res illorum ita requirere: sed eandem rationem pro Rep. non militare. Egisse illos cum Principibus Italiæ, ne Reip. militem in ditionibus suis conscribere permitterent: cumq; hoc ipsis non successisset, illos passim in pagis circumisse detestantes nomen Venetũ, & cum rabie quadã comminantes illis, qui Reip. militare ausi fuissent: seditiones ab ipsis excitatas per litteras & instructiones, & colloquia cum subditis, qui veniebant in civitates, in quibus ipsi commorabantur, & ad confinia ditionis Venetæ cum hominibus ipsis addictis, & ab ipsis evocatis, habita esse innumerabilia. Probatum etiam fuit, multas molestias, a pontifice in hoc negotio Reip. exhibitas, ex ipsorum instigatione natas esse, & ex spe, quam ceperant, se multum in Republica Veneta, & dissidia inter senatores suscitare posse. Quo ad præterita autem, probatum fuit, cum Resp. post mortem Henrici Tertii titulum Christianissimi præsenti Regi Franciæ tribueret, Iesuitas scripsisse Romam se multis senatoribus dixisse hoc salva conscientia fieri non posse, & pœnituisse illos seque, ipsis negasse absolutionem, nisi promitterent se hoc retractaturos: & facile fieri posse, si Pontifex instaret, ut totum hoc immutaretur: Pontificem hac persuasione motum hoc petiisse, cumque non obtineret, multas inde offensiones, & molestias natas esse. Sæpius illos se fautores magnorum Principum præbuisse, atque ita administrationi Reip. se immiscuisse: plus quam centum aureos tabellariis pro litteris solvere, hoc iudicio esse, quam multiplicibus negotiis, & quam variis correspondentiis vacent. Probatæ etiam fuerunt variæ insidiæ, quas bonis suorum confitentium struxerunt præcipue feminarum, cum familiarum magno damno: Considerata etiam fuit doctrina illorum in rebus politicis, tendens ad exaltationem Monarchiæ, & depressionem Aristocratiæ, una cum quibusdam maximis, administrationi, & institutis Reip.

valde

valde contrariis. Accedit, quod Iesuitæ fuerunt authores, & instrumentum omnium rebellionum, seditionum, confusionum, & damnorum, quæ nostris temporibus in omnibus regnis, & provinciis mundi contigerunt: Propterea reatus, & culpa deprehensa fuit non solum in singulis, sed etiam in tota societate longe major, quam quisquam putasset. Res tota proposita fuit in Senatu, qui 14 Iunii ita decrevit. Quandoquidem congregatio Iesuitarum Venetiis recepta fuisset in ipsis principiis suæ nativitatis, & semper benigne habita: ipsa vero semper se ingratam erga Remp. præbuisset, & proclivem ad facienda ea, quæ in ejusdem damnum vergere possent: quia etiam Iesuitæ perseverarent in intolerandis molestiis, sinistris officiis, & insolentissimis maledictionibus, conantes Remp. lædere; decrevit, inquam, senatus, ne in ullam ditionis Venetæ locum unquam reciperentur, & ne hoc senatus consultum posset revocari, nisi, lecto prius processu formato, & de consilio totius collegii conformi cum votis quinque sextarum partium senatorum, quorum numerus centum & octuaginta personas superaret. &c. En, Iacobe Kellere, satis longum catalogum actionum, propter quas Iesuitæ indigni publice pronunciati fuerunt, qui posthac in ditione Veneta viverent. Iam pauca ex eadem historia delibabimus, quæ sub ipsum Iesuitarum ex urbe Veneta discessum acciderunt: qua de re libro 2. pag. 67. sequentia ex Italica in Latinam linguam traducta leguntur. Cum Præpositus Iesuitarum, ultimus navim ingrediens, a Vicario Patriarchale (hic missus a senatu fuerat, ut supellectilem templi Iesuitici sibi tradi, & Iesuitas ocyus urbe excedere juberet) benedictionem peteret, populus, qui ad spectaculum confluxerat, idiomate Veneto dixit: Ite malis avibus. Occultaverant Jesuitæ in diversis ædibus civitatis vasa, & ornamenta pretiosa templi, lautiorem supellectilem domesticam, multosque libros, & habitationem suam pene vacuam, & nudam reliquerunt: Remanserunt etiam in eadem reliquiæ

ignis per totum diem sequentem duobus in locis, ubi indicibilem scriptorum quantitatem cremaverant. Reliquerunt etiam satis multa vasa idonea ad fundenda metalla: unde cum per totam urbem natus esset rumor, qui scandalo erat paucis, etiam illis, qui Iesuitis addicti superarant, Pater Possevinus scripsit (& epistola eius publice visa fuit) vasa illa non fundendo auro, vel argento, uti per calumniam insimularentur, sed accommodandis ipsorum pileis esse destinata. In ædibus nihil alicuius momenti remansit, excepta bibliotheca, quam ipsis legaverat olim Archiepiscopus Ludovicus Molinus, Episcopus Tarvisii, reposita in suis armariis, & arca, in qua separatim libri prohibiti asservabantur. Patavii autem remanserunt multa exempla cuiusdam scripti, continentis 18 regulas cum hac inscriptione: Regulæ aliquot servandæ, ut cum Orthodoxa Ecclesia vere sentiamus: in decima septima quarum præcipitur, ne prædicetur, nec inculcetur nimis gratia Dei: & in tertia mandatur, ut credatur Ecclesiæ Hierarchicæ, si illa dicat nigrum esse illud, quod oculis album videtur. Hactenus historia. Ut autem tuo, Jacobe Kellere, desiderio, vel importuno potius, & supercilioso postulato etiam consimili aliqua narratione, ex Thuano, apud quem aliquid tale inveniri tu proterve negas, desumpta, satisfaciamus, verba illius ex libro Hist. 137 pag. 1263 referemus. Cum abirent (Iesuitæ nimirum) inquit, vix ab injuria temperatum fuit, plebe eos, tanquam exploratores ab Hispanis subornatos, insectante, & stipatores propterea iis à Senatu attributi sunt. Inde legibus in societatem agi cœptum, & confectis probationibus Decemviri constare dixerunt, permultos patres, & maritos conquestos esse, quod à filiis, & uxoribus solita obsequia non præstarentur, quia Iesuitæ ipsis confirmassent, eos extra Ecclesiæ communionem positos esse. Literas & cujusdam ex illa societate interceptas, quibus Pontificem certiorem faciebat, trecentos præcipuæ nobilitatis pueros esse, totidem devota, quidquid juberet, suę sanctita-

tis

ris mancipia. Præterea ad senatum delatum, eos per confessiones secreta familiarum rimari, bona, facultates, & ita totius Imperii robur, & vires perspectas habere, clientelas cuiusque cognoscere, ea de re Commentarios ab ipsis confici, & singulis sex mensibus per visitatores suos, quos vocant, ad generalem suum mitti. Bergomi, & Patavii festinato eorum discessu multas chartas repertas, ab iis corruptas, aut exustas, quibus eius rei fides fiebat &c. Et hæc de Iesuitis Venetæ ditionis qua in parte lector rogatur, ut observet vanitatem, & impudentiam nostri Fabii, qui scribere non erubuit, Iesuitis ob nullum facinus Veneta ditione interdictum fuisse.

De aliis Iesuitis etiam similia in eodem libro Thuani pag. 1264 leguntur. exempli causa, de Iesuitis Polonis, Demetrium suppositum incolis Moscoviæ pro vero Imperii herede fraudulenter (quanquam infelici cum successu) obtrudentibus, de Jesuitis Lusitanis, regem Sebastianum a suis consiliis pendentem, ab infausta expeditione Africana, ne gratiam regiam effunderent, non serio dehortantibus: de tot nomine Christiano indignis contra Elisabetham, reginam Angliæ, conjurationibus: de Iesuitis Gallis cum factione Henotica contra Henricum tertium, Galliæ regem, optime de ipsis, & omnibus Ecclesiasticis meritum, perfide conspirantibus: de Alfonso Carillo, & aliis Iesuitis imprudentissimum juvenem Sigismundū Bathorium suis consiliis eo redigentibus, ut, ditissima, & fertilissima Provincia Austriacis tradita privatus in vili Bohemiæ hypocausto consenesceret. Multa alia de genere hoc ibidem legi possunt, quibus hoc loco adjicimus ea, quæ Thuanus lib. 94 sub finem scribit. Matignonus, (inquit) qui erat animi moderatione, & prudentia, ulterius in conscios inquiri noluit, ne in sacri Ordinis infamiam res verteret, contentusque fuit, quo conspirationibus huiusmodi in posterum præverteret, patres Iesuitas, conjurationis authores, urbe exigere. &c. Superiora omnia, & in

S 3 spe-

specie ea quæ Thuanus narrat de Jesuitis, nonne facinora, & flagitia vere nominari possunt? Nonne Iesuitæ seditiones concitarunt? Nonne reverentiam erga Remp. Venetam, optime de illis meritam, exuerunt? Nonne rebellionem contra eandem machinati sunt? Nonne te pudet, Fabi, publice affirmare, Thuanum nihil horum referre? Verum enimvero in toto hoc tuo scripto nihil fere majori cum admiratione lego, quam quod Senatum celebris urbis Rigę vana ad Ducem Christophorum Razivilium scripsisse asserens, veritatem narrationis ejusdem in dubium revocare non erubuetis. Iesuitarum verba, quę Rigensis senatus in sua ad Razivilium Epistola commemorat, in præsentia ejusdem Principis, & multorum virorum nobilitate, & dignitate præstantium, prolata fuerunt. Insignis ergo procacitatis, & temeritatis est, negare illa, quę an ipsi Iesuitæ Poloni, & Livones negaturi sint, tibi, Fabi, compertum esse non est credibile. & si forte negarent, tamen nullo negotio mendacii convinci possent. Narratio Senatus Rigensis, sive Epistola ad Ducem Razivilium una cum litteris ad regem Poloniæ, & cum responsione Razivilii Latine typis excusa extat

Germanice etiam Wittebergæ apud Christianum Tham Anno 1622 impressa est, & ibidem, ac Lipsiæ publice venalis prostat. Hæc ad liberandam Auctoris Informationis fidem necessario lectori benevolo significanda fuerunt. Nuperi belli Gallici tubas fuisse Iesuitas, non facile quis negaverit. In Rhætia si forrassis proprium nidum nondum extruxerint, habitant tamen Lucernæ, & alibi in vicinia: unde Rhætiam consiliis suis perturbare commodissime possunt Iesuitas Germanos, qui Germaniam incolunt, cœlum patrium amare facile credimus, quia illos commodissime, & lautissime in ea vivere videmus: sed an illi antiquam Germaniæ libertatem ita ament, ut eam juramento, & fidei qua Pontifici Romano obstricti sunt, & aliis respectibus, & affectibus anteponant, de eo indies magis, magisque dubitandi graves causas habe-

habemus. Et hæc sane sufficere poterant de Iesuitis sed tamen facere non possumus, quin colophonis loco, & recreandi lectoris ergo nonnulla hic ex Ioannis Passeratii, Professoris Regii, Oratione, Lutetiæ Anno 1594 in schola Cameracensi habita, per quam ille Iesuitas multo sale defricuit, asctibamus. Abigendas (inquit) inprimis obscænas volucres, (Iesuitas nempe) quæ rapiunt, contactuque omnia fœdant immundo: imo sine plumis bipedes, quibus pullam vestem fibula subnectit. Has Harpyias nisi Senatus, & amplissimi, ornatissimique viri, quibus Academiæ, Scholæq regiæ instaurandæ tradita est provincia, fugarint, & exterminarint, ut pennati Aquilonis filii in fabulis, frustra littoralibus Diis vota nuncupatum iri. Nam rursus ad eos scopulos, ad quos nuper est ferme adflicta, navem nostram relatum iri: nequicquam in excolendo Musarum fundo sudari, nequicquam lolium, carduos, lappas, & tribulos extirpari, nisi ex agro nostro hæc filix radicitus evellatur. Meminisse debere, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi, quam Scythæ, nova tatuitæ doctrinæ professione vulgo commendati, hinc irrepserint, et invitis Diis in Academiæ parte consederint, quibus artibus inhiantes locupletum fortunis divites orbos, vel cœlibes, deliros senes, superstitiosas mulierculas, & adolescentulos imperitos deceperint, & velut Circeo poculo repente immutarint, ut religionis specie, quam inexplebili avaritiæ, suisq. fraudibus obtendunt, equum Troianum paulatim introduxerint, ut semper in insidiis manserint, & in speculis steterint proditionis occasionem expectantes, ut ea oblata, machinam suam continuo aperuerint, armatisque hostibus totam Galliam, & omni genere calamitatis repleverint. Ne vero insidias, & paratam pestem caveremus, neve impendentia prospicientibus, ac prædicentibus cordatis viris crederemus, obstitisse Chorœbos quosdam, & Ucalegontes, qui plures in Ilio nostro, quam Laocoontes, fuerunt. At objici, eos gratis docere. Mutata litterula, sem aeu targi, ni-

gi, nimirum gratis nocere, eoque mactandos maiore infortunio, quod gratis sint mali: quanquam vix istud sibi quenquam persuasurum, qui eos bene noverit. Testes amplissimas honestissimasque familias, quarum sanguinem pro levi docendi opella, & exiguo Minervali istæ hirudines exsorbuerunt. Præclaram eam liberalitatem, repudiare drachmam, ut talentum extorqueas: mirum genus benignitatis, pro stipe menstrua immensæ pecuniæ legata opimaq; captare & rapere hereditates: institutionem puerorum his aucupibus esse scilicet: pendere pulchre, qui ab ea transenna turdi lumbricum petunt: gratuitam doctrinam illis esse pro hamo, vel potius pro reticulo, quo callidi piscatores cuncta converrunt cum pulvisculo: stolidos parentes, qui suos iis credunt liberos: eadem opera columbas accipitribus, pullos milvis, & oves lupis committi. Sed quid tandem istos, per aureum funem cœlo delapsos, magistros discipulis suis tradere? nihil sapere præter ritus Hispanos, odium legum institutique patrii, & imbelliam, imbalnitiem (liceat verba prisca usurpare) impolitiam, imparentiam, meramq; cum Lavernæ sacris barbariem, consulto huc invectam, ut eam illi docerent. Interim delitescere in vepretis nostris nitedulas, quæ rem civium arrodunt: nobiscum impune versari speculatores, & exploratores Philippi, & eius tyrannidis acerrimos satellites. Verum apud illos discibonos pudicosque mores: tristes cum aspiciuntur a multis frugi censeri, sed nec si fibulam gestant, propterea Hippolytos esse, nec si bonos auctores evirant, ideo bonis placere: Gallis præsertim, quibus natura sunt invisi Delaci. Magnam laudem esse scilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete vervecem, ac ex verre majalem facere. Depravare illos recta ingenia, dum curva corrigere videntur, & suos docere artem mentiendi, & dolos, quos appellant, industrios: hujusmodi doctrinam, & hos mores ipsis non invideri: sibi habeant, abeantque quam longissime, & illuc revertantur, unde malum pedem attulerunt,

runt, &c. Hactenus Passetatius: & hæc de Iesuitis, à Fabio provocati non potuimus non lectori ob oculos ponere, & hominis inflati, miteque confidentis jactantiæ, & vanitati superilhosæ veluti frenum injicere. jam ad reliqua pergamus

Pag. 303 ait Fabius solos Reformatos à Compilatore hoc loco accusari: quod verum est, quo ad nomen: sed re ipsa Compilator actiones reliquorum Unitorum, imo maximæ partis Protestantium, criminatur. Gravamina enim contra Processus Aulicos, uti vocantur, & contra defectus quosdam administrationis justitiæ in Camera Spirensi, non à Reformatis solis, sed prope ab omnibus Euangelicis, paucis exceptis, proposita fuisse nemo negare potest. Imminutum honorem Cæsaris à Reformatis, verum non est, nec de honore, & potestate Cæsaris hic agitur, sed de legibus, constitutionibus, & forma justitiæ Imperii, qua in parte non potest, nec debet Protestantibus vitio verti, si constitutionibus, & Recessibus Imperii inhærendum, nec à forma justitiæ administrandæ, semel mutuo Cęsarum & Ordinum consensu, & conventione introducta & sancita, discedendum esse contendunt. Porro Compilatorem generalibus hoc loco immorari, nec ulla specialia allegare, Author Informationis dicit in eum finem, ut Compilatori par pari reddat. Compilator enim in initio suç Cancellariæ (uti videre est cap. 1 pat. Informationis) scribit Vnitos nulla specialia molitionum contra Protestant● exempla allegare, sed in generalibus hęrere. illud Author Responsionis hic Compilatori reponit, & ad specialia alleganda, ac probanda hominem invitat. Hoc autē captiose Fabius ad alia detorquet, & non tā refutat, quā ludit. Pag. 304 Fabius noster, ex ludi moderatore repente Iurisconsultus factus, de Cęsarea Iurisdictione disputat, & quærit, qua Imperii lege interdicitur, ne Cæsar in aula jus dicat quod Spirę dicitur? Respondemus, Ordinationem Camerę à Cæsaribus & Ordinibus Imperii olim conjunctim approbatam, & publice promulgatam, aperte distinguere inter causas, quę

T à Spi-

à Spirensi Camera, & inter illas, quæ à Senatu Aulico cognosci, & decidi debēt. Neq; vero, optimi & sapientissimi illi Principes hac ratione honori, potestati, & jurisdictioni Cæsareæ quidquam derogari putabant, ut jam homines quidam male feriati clamant; sed, quia ita Imperii tranquillitati, & Ordinum inter sese, & Cæsarum cum Ordinibus concordiæ expedire, & mutuam inter diversæ religionis partes diffidentiam, ac suspiciones hoc pacto minui posse judicarent, re bene deliberata, omnes fere causas tribunali Spirensi, ut pote totius Imperii corpus repræsentanti, cognoscendas attribuerunt; paucissimas vero senatui aulico, a solo Cæsare dependenti, summa cum prudentia, & æquitate reservarunt. Nec ulla fere fuit hac de re tempore Caroli Quinti, & Ferdinandi, exigua etiam Maximiliano secundo regnante, controversia. Imperante vero Rodolpho secundo Protestantes animadverterunt causas fere omnes à Pontificiis ad senatum Aulicum studiose deferri, vel quod citius sese ibi sententiam obtenturos vel quod faventiores ibi judices sese inventuros, vel quod Protestantes jure, & beneficio Revisionis hac ratione privari posse existimarent. Cœperunt ergo inde usque ab illo tempore multi Protestantium judicium Aulicum declinare, & petere, ut causæ, tribunali Spirensi lege publica assignatæ, Spiræ & non Pragæ, aut Viennæ decidderentur; quæ petitio rationi, & æquitati plane consentanea esse, nec à publica hac Imperii constitutione discedi, aut quidquam in ea, nisi consultis, & consentientibus omnibus Imperii Ordinibus, posse mutari videtur. Hoc autem cum non nisi in publicis Imperii Comitiis fieri rite queat, proterve sane, & petulanter Author Informationis propter injectam Comitiorum mentionem a Fabio reprehenditur. Erroneum ergo, uti ex supra dictis patet, est cum Fabio dicere nos Cæsarem jurisdictione spoliatum velle, quem nos volumus utrobique, tam in aula, quam Spiræ, & per consequens in toto Imperio jus dicere, & Jurisdictionem exercere secundum ordinem, & causarum distin-

distinctionem, de qua superiores Cæsares cum Ordinibus convenerunt. & ab hoc ordine, & ab hac conventione non posse recedi nisi per novam cum Ordinibus conventionem cum dicimus, hæc non magis honori, potestati, & Jurisdictioni Cæsaris officit, quam commune Jurisconsultorum axioma. Cæsarem à contractu etiam cum privato inito recedere non posse. De his te, Iacobe Kellere, falcem in alienam messem mittentem, & in morem Cæci, de coloribus judicantis, de Jurisdictione Imperiali disserentem, edocendum esse censuimus. Eiusdem farinæ est, quod pag. 305 attingis. Calvinistarum nomen tibi semper obtentui est, quoties aqua tibi hæret. Judicem Protestantes optimo jure petunt non suspectum, non inimicum: petunt etiam competentem juxta Cameræ Ordinationem, & alias Imperii constitutiones. Omnes Protestantes, non soli Reformati, talem petunt. Nunquã etiam Reformati judicem suæ religionis petierunt, ut tu falso illis imputas, existimans te hac ratione effecturum, ne fucũ Lutherani tuum notent. Cur judex Cameræ Catholicus migraret, inquis, ut Calvinista succederet? Migret ergo, Fabi, ut Lutheranus succedat. Quid respondes? Si neges, & renuas, Lutherani videbunt te non magis fidere & favere illis, quam reformatis. Sin vero affirmes, & concedas, jam satisfactum est reformatis, qui libenter Lutheranum judicem ferent, & te re ipsa falsi convincent, dicentem Reformatos non nisi suæ religionis judicem in Imperio velle. Episcopus Spirensis cur Reformatis, Palatinis præsertim, suspectus merito esse debeat, non est obscurum. Nullæ simultates privatæ, nullæ offensiones ipsi quod sciamus, cum Saxonibus inferioribus intercedunt. Sed tune, Iacobe, quenquam illorum vel arbitrum electurum Spirensem, vel animo securo coram illo Spiræ cum Romanista aliquo, præsertim si de bonis Ecclesiasticis quæstio esset, litigare posse arbitraris? Qui malam causam habet, judices timet, ais pag. 307. imo vero, Fabi, etiam qui bonam causam habet, judices suspectos timet. Miramur au-

tem, te pag. seq. Protestantes Assessores Spiræ pro suspectis, inimicis, & hostibus habere, cum tamen & in Litura tua, & in hoc libro vobis pulchre cum Lutheranis convenire, & nihil rixæ, nihil controversiæ cum illis esse passim inculces. Equidem, si quis rem recta reputet via, vobis ab Assessoribus Spiræ Protestantibus nihil omnino periculi impendet. Nam & vestri numero longe superant in singulis congregationibus, quas Iudex Cameræ audiendis Referentium relationibus, & causarum decisioni destinare solet & Præsidis Pontificii directio, votum, & conclusio vobis omnia salva præstant. Nec verum est, quod subjungis, Lutheranos nihil adhuc in vobis, quantum ad judiciales processus Spiræ, desiderasse. Constat enim complures Lutheranos de multis defectibus queri & non neminem ex Assessoribus Lutheranis, quod salva conscientia, & illæsa fide, qua Assessores Ordinibus Imperii tam Protestantibus, quam Catholicis Romanis obstricti sunt, se diutius in statione illa permanere non posse existimaret, petita, & obtenta dimissione, operam suam Protestantibus Imperii statibus addixisse. Tu, Iacobe, fortassis ignoras talia, & nihilominus audacter de Tribunalibus supremis Imperii disseris, prorsus ac si apud sodales seminarii tui declamares. Quod si ut tu vis, ita præcise ad primam Iudicii Cameralis institutionem respiciendum esset, sequeretur hodierno etiam die, solos Catholicos Romanos Assessorũ fungi officio posse. Sed quis nescit post introductam à Luthero religionis reformationem multa mutata, & à prudentibus Cæsaribus, & à statibus religioni Romanæ addictis, paci, & tranquillitati publicæ optimo consilio condonata fuisse? Horum vestigiis nisi insistatis, sed potius rigore quodam Jesuitico omne temperamentum, omnia media lenia, & omnem *Ἐπιείκειαν* rejicere pergatis, parum, vel nihil potius spei de tranquillitate Germaniæ superesse certo statuendum est. De Windeckio, Schioppio, & similibus supra cap. 1. diximus, & eo lectorem remittimus. De regula Pii Quinti. Catho-

tholicos omnia ad religionem referre debere, nihil Author de suo effutivit: quæ scripsit ex vita Pii per Secretarium Hieronymum Catenam Italice descripta, & Romæ in octavo impressa, desumpsit: ex cuius lectione apertissime lector deprehendet, Catenam non tam loqui loco allegato de rectæ conscientiæ monitu, quam de rebus etiam politicis, & de illis Pii etiam præceptum, sive monitum suum intellexisse. Denique quam familiare, & nequaquam novum tibi, Iacobe, sit sive mentiri, sive mendacium dicere, in decursu huius opusculi lectorem satis, superque perspectum esse non dubitamus.

Similiter pag 310 per errorem scribis, Calvinistas judices à rege Galliæ Calvinistis permissos fuisse, quasi hoc Informationis author dixerit; cum tamen ille hoc tantum dicat utriusque religionis judices Protestantibus Galliç datos fuisse. Eadem ratio est eius, quod divinando subnectis, Pontificem & regem sibi jus supremum, ad quod provocaretur, retinuisse; nugæ. Ignoras nimirum à Parlementis Galliæ, Parisiensi inprimis, non appellari ad regem. Temperamentum aliquod in puncto administrationis justitiæ, sive juris æqualitatem omnes Protestantes desiderant, & flagitant; hoc bonus Fabius pro Loyolitico suo candore sic interpretatur, ut dicat Calvinistas à Catholicis Calvinisticum senatum petere. Quis hominis impudentissimam sophisticam ferat? Subnectit Catholicam religionem docere justitiam servandam: quid tum postea? Euangelica, sive Protestantium religio idem docet, & qui justitiam violat, contra legem Euangelicæ religionis facit. Quid hinc sequitur, Fabi? Nimirum aut vos non recusare debere Protestantes judices, aut, si recusatis, vos nullo jure cogere posse Protestantes, ut coram vobis litigent.

Pag 311. negue audet Fabius à Compilatore quidquam confundi, cum tamen ille aperte lites privatorum, quæ aliquo pacto Constitutionem pacis religionis concernunt, cum publicis, & communibus Protestantium Gravaminibus commisceat. Nullane, Fabi, inter hæc differentia est? Li-

tes privatas Protestantes in Camera Spirensi, vel in aula Imperiali (salva Ordinatione Cameræ) persequi non recusabant, dummodo juris aliquam æqualitatem sibi promittere possint, & defectibus nonnullis, qui invalescere cœperunt, remedium adhibeatur. Publica autem, & communia gravamina, communi nomine, & consensu à Protestantibus in Comitiis Imperii Cæsari exhiberi, & remedia ab eodem peti solēt. Nonne igitur Author Informationis recte dixit, a Compilatore ista confundi, dum scribit, Unitos & Calvinistas religionis causas sine discrimine coram universis statibus, eorumque deputatis pari utriusque partis numero amice componi velle? Hoc enim non est verum, sed particulares, sive privatas lites non renuunt Protestantes eo, quo diximus, modo persequi, at gravaminum publicorum expeditionem, & remedium à Cæsare petunt. Male igitur Compilator asserit illos indistincte omnes causas religionis amice componi velle. Quod plus est, ne parem quidem numerum judicum ita præcise postulant: temperamentum, & aliquam juris æqualitatē, à Cæsare, & ab Ordinibus Imperii stabiliendā, flagitant. Pari vero numero judicē reformatæ religionis addi non petimus Reformati, ut tu fingis, Fabi: addite saltem Lutheranum. Quid ais? Recusas? Appáret ergo tibi iterum hic obtentui esse nomen judicis Calvinistæ, cum in effectu & rei veritate etiam Lutheranum rejiciatis. Tibi, Iacobe, intra parietes Musæi tui contemplationi vacanti, hæc fortassis expedita esse videntur, & nihil habere difficultatis. Sed experientia testabitur post hos motus, & hanc animorum exulcerationem, Imperio stabilem & diuturnam pacem restitui non posse, nisi vos de ratione & via aliqua sereo cogitatis, quæ Protestantibus diffidentiam, suspicionem, & metum justum eximere, eosque securos reddere queat, fore ut vobiscum vivere æquo jure possint.

Pag. 314 Fabius transactionem, & compositionem omnem non rejicere tantum, sed certo quodam modo etiam dete-

stari

stari videtur: id quod nos non adeo miramur. Novimus enim ignea ingenia, novimus vehementes impetus Loyolitarum, scimus illos nunquam ad moderationem, & mediocritatem, sed semper ad consilia violenta, & ad extrema inclinare. Et sane quamdiu ipsi audientur, & ipsorum consilia pondus habebunt, de tranquillitate Germaniæ desperandum est. Unde etiam factum est, ut quidam ex ipsis Lutheranis per publicum scriptum nuper admodum asseveraverint & demonstraverint pacem, in Romano Imperio restitui non posse, nisi Jesuitæ inde profligentur. Non est autem, mi Jacobe, quæstio de ineundis pactis cum Calvinistis, sive Reformatis solis, sed cum toto Corpore Protestantium, vix uno, alterove excepto. Vide ergo, quam sophistice hac in parte iterum Reformatos solos carpas. Vincula transactionis Passaviensis innuis a Reformatis rupta esse. Sed quota pars sunt illi Protestantium, & quotam partem tenent bonorum Ecclesiasticorum, quorum restitutionem vos semper in ore habetis? Pauca quędam monasteria, in ipsorum territorio sita, justo se titulo possidere existimant. Archiepiscopatus, & Episcopatus nullos tenent. Hoccine, veterator, dissimulas, & Lutheranos, Saxones persertim inferiores, non nominas, veritus, ne illorum gratiam effundas. Porro Iurisconsulti Protestantes non facile tibi concedent, transactionem Passaviensem à suis Principibus violatam, aut quidquam vobis (sunt tua verba) contra promissum subtractum fuisse. Elector Saxoniæ, quidquid tu garrias, Cæsari suasit, ut compositionem probaret, & promoveret. Putabat ergo, compositionem nec juri, nec æquitati repugnare, sed Imperio utilem, & necessariam esse, alioquin nunquam illam suasurus. Falsum est, quod Fabius pag 315 ponit Compilatorem in sua Cancellaria referre duntaxat, quæ nos in illa scribimus. Multa enim de suo addit, glossas suas, conjecturas, notas passim aspergit; multa truncat, pleraque in sensum alienum detorquet, omnia, etiam dubia, & obscura, in deteriorem partem rapit.

Certe

Certe nemo in Cancellaria inveniet, quæ speciosus titulus promittit, per quem lectorem veluti inescare Compilator conatus est. Non putabam te, Fabi, adeo ferreæ frontis esse, ut pag. 315 negare audetes societatis, vestræ sodales, cujuscunque nationis sint, impensius favere Imperio Hispanico, quã ulli regum Christianorum: id quod tamen apud omnes quoq; Lutheranos, imo apud magnam etiam partem Pontificiorum extra dubium est. Male ergo concludis hunc paragraphum, dicendo, Unitos reliquos, si hoc crediderunt, falsiloquis credidisse. Non enim Lutherani Uniti hoc ex reformatis primum didicerunt, quod multis annis ante, quam Unio inita fuisset, sciebant, & credebant.

Reformatos vel solos vel cum aliis, sacri Romani Imperii ejusque laudatissimarum sanctionum subversionem quæsivisse, hic de novo constantissime negatur. Compilator hoc illis exprobrat, ut tu recte dicis, sed non probat, nec tu probas. Si novum regimen contra expressam Unionis formulam introducere pauci Reformati voluissent, ut pag. 320, Fabius, Compilatoris vestigiis insistens, criminatur, impossibile fuisset hoc reliquos Unitos celare, ut omnes sano judicio præditi facile concedent. Cum igitur reliqui Uniti nihil tale animadverterint, sequitur hanc accusationem nulla probabilitate niti, sed in Compilatoris cerebro natam esse, & in meris conjecturis, quibus etiam Fabius hic indulgere pergit, consistere. Ad argumenta enim authoris neuter respondet. Ad quæsitum, de quo genere regiminis hoc intelligendũ sit, non audet bonus Fabius Categorice respondere, imo ridicule vult Authori sibi ipsi respondẽdi partes imponere. Tãdem tamen respondet per conjecturas, & imaginationes, quę tanquam vigilantis somnia nuda negatione tolluntur, & evanescunt. Irascitur deinde Authori, Germanici Imperii descriptionem ex Thuano sumenti, & eodem bilis impetu etiã in Thuanum fertur, & summi viri tum hic, tum supra parum honorificam mentionem facit. Errat autem scribens, Thuanum

num imperium Germanicum descripsisse, pro ut antiqua formam stare aut vidit, aut credidit. Thuanus enim vixit nostra ætate, & ante non multos annos primum diem suum obiit. Viderat ille Germaniam, cuius bonam partem Anno 1579 perlustraverat, & rerum Germanicarum, ac formæ Imperii non erat ignarus, quam descripsit talem, qualem eo tempore viderat. Quod si tu, Fabi, formam, a Thuano descriptam, pro antiqua habes, quæro quidnam ex illa immutatum esse putes? capitine aliquid accessit, aut membris decessit? aut vice versa? Cæterum, nisi me omnis conjectura fallit, non placet tibi, quod Imperium Respublica Germanorum appellatur à Thuano. Supra enim ostendimus Jesuitas Monarchiam amare, & laudare, Aristocratiam vero, & Respublicas odisse. Nobis autem Germanis (inquit apud Sleidanum lib. 1. Albertus Archiepiscopus Moguntinus in deliberatione de Electione Caroli Quinti) inprimis retinenda est Aristocratia. Unde apparet quanto cum libertatis antiquæ discrimine Loyolitæ in Germaniam admissi, & recepti fuerint, & etiamnum in illa foveantur, ad immensas divitias provehantur, & ad arcana consilia adhibeantur. Denique quia formam Imperii, à Thuano descriptam, quam tu, Jacobe, ipse antiquam vocas, Reformati unice probant, & amplectuntur, an non inde manifestissime evincitur Reformatos à Compilatore & à te falso insimulari, quod novi regiminis, sive formæ Imperii introductionem meditati fuerint? Eiusdem farinæ est, quod subnectis Reformatos de abolitione Electorum Ecclesiasticorum, & ad quatuor reliquos quatuor aliorum additione cogitasse. Tu hæc, & alia dicis, Iacobe, sed sine probatione. Nullum ergo responsionem meretur.

Redit pag. 224 ad consuetam criminationem Fabius, & denuo inculcat, regem Fridericum & Bohemos solicitasse & adduxisse Turcam in pernitiem Christianorum. Sed satin' falsus es, Fabi, qui tibi totum locis aperte ipse contradicas? Nonne tu supra cap. 8. pag. 202 scribis: Etsi in illa tua lauda-

ta, & publica instructione (nimirum Ioanni à Collen, Constantinopolim eunti, data) nihil magnopere sit sugillandum &c? Nonne infra hoc eodem capite pag 330 ais: Etsi acta Pragensia manifesto indicio non sint solicitatæ vobis apud Turcam opis? nonne hæc tua formalia (ut loquimur) verba sunt? Et tamen hoc loco affirmas vere Compilatorem scripsisse, Turcam in vestram perniciem à nobis solicitatum fuisse, & adductum. Hæc sane parum cohærent. Nam si vera sunt, quę Compilator scripsit, unde illorum probationem desumpsit? Tu rotunde fateris acta Pragensia non esse manifesto indicio Turcam à nobis contra vos esse solicitatum: & in Instructione Collenio data nihil magnopere sugillari posse. Compilator autem dicit se ex Actis Pragensibus & Anhaltinis nos convincere velle. Nonne hæce diametro sibi sunt contraria, nec simul vera esse possunt? Convincere, Fabi, aliud est, quam conjecturas, & imaginationes, allegare, ut vos facitis. Rogamus ergo hic lectorem, ut ne graveter sedulo notare has contradictiones Compilatoris, & Fabii, quippe quæ omnia, quæ illi scribunt reddant suspectissima: ut etiam quod statim à Fabio subnectitur, Hohenloium Calvinistis militasse, veritati repugnat. Militaverat Hohenloius multo ante, quam Rex Fridericus eligeretur, & militabat Regno, & Ordinib. totiq; illi nationi, ac populis Bohemiæ, nō autē paucissimis Reformatis, quorū exiguus admodū (respectu & comparationē Lutheranorum) ibi est numerus. ad summā militabat in effectu Lutheranis ipse Lutheranus Facinora, & immanitatē Croatarū, quorū vos opera libentes utimini, non solum Rhenani merito detestantur, sed etiā hodierno die ipsi Brabantini aperte dicunt Turcos & Tartaros ab ipsis hac in parte longo intervallo superari. Eadem est Cosaccorum ratio, quos tanquā ursos, & leones in miseros Rhenanos concitare vobis religio non fuit. Vicinitatem, & amicitiam Constantinopoli quærere, Regi Friderico, & Ordinibus Bohemiæ per omnia jura licuisse supra docuimus, nec

ruam

tuam tautologiam, & petitionem principii alio responso dignamur. Paradoxum autem est, quod sequitur, crimen committere eum, qui Turcam, vel alium rogat, ne inimico suo subveniat. Ubi hoc legisti, Fabi, aut quomodo probas? Vobisne recte subsidio venire poterat Turca, vosne salva religione Romana Turcæ auxilio uti poteratis, & Bohemis non licuisset Turcam rogare, ne ipsos læderet, non licuisset Bohemis vim Turcæ deprecari, & rogare, ne hostibus ipsorum suppetias ferret? Quam absurda hæc sint, Fabi, & quos in labyrinthos te imprudens conjicias, quis non videt? Errorem errore cumulas negando tibi comperta esse, quæ de Statzeri, & aliorum Austriacorum molitionibus Author allegavit, & nihilominus falsa esse asseverando. Eadem levitate negas Regem Fridericum, & Ordines Bohemiæ ulla necessitate adactos, aut ullam ipsis vim factam fuisse. Quis nescit Bucoium diu cum Dampirio in visceribus Bohemiæ hæsisse Budowicium & alia loca occupasse, ac munivisse, iisque, cum in Austriam abiret, firmissima præsidia imposuisse? Quis nescit, eo ipso tempore, quo legatio Constantinopolim mittebatur, Bucoium cum exercitu veterano in Austria prope Danubium loco tuto desidentem nihil aliud exspectasse, quā Bavarum, cum tremendo apparatu bellico, & numerosissimis copiis adventantem, ut conjunctis viribus Bohemiam invaderent? Nullane hæc vis tibi videtur, nullane Constantinopolim in tam propinquo periculo mittendi, & vim Sultani deprecandi necessitas? Quæ de Comite Turnio pag. 327 subjungis, nihil commune habent cum legatione Regis Friderici, & Bohemorum, & longo tempore post discessum ejusdem regis contigerunt, eorumque rationem a Principe Transylvaniæ, & ab ipso Comite Turnio, jam vicino vestro, poscere, si ita vobis videtur, potestis.

De sacris Mahometanis, à Papismo non multum differentibus, supra egimus. Subjicis, Fabi, variis modis, & variis Oratoribus suppetias Turcicas solertet postulasse. Mi homo,

non te pudet tuæ inconstantiæ? nonne supra fassus es non posse ex actis, ex quibus nos convincere vultis, probari ullas a nobis postulatas fuisse? Cęterum hoc loco Fabius, ut fabulæ, quam agit, aliquid gratiæ, & leporis conciliet, in scenam producit Iudęum quendam, de quo lectori benevolo ne a Fabio circumveniatur, sequentia significanda esse duximus. Degit Constantinopoli quidã Abrabamus Cormanus, natione, uti fertur, Hispanus ex eo genere hominum, quos partim Mauriscos, partim Christianos novos vulgo vocant, & quorum incredibilis numerus ex Hispania diversis temporibus exactus fuit. Horum nonnulli Ferrariam, & alia Italiæ loca se contulerunt, sed longe maxima pars Thessalonicam, & Constantinopolim. Ex horum numero esse aiunt hunc Cormanum, hominem industrium, & linguæ Turcicæ peritissimum; illiusque operauti plerosque Christianorum regum, Principum, & Rerumpublicarum Oratores, ac legatos. Iste Cormanus, si Fabius, & Compilator verum dicunt, more huiusmodi hominum, qui lucellum undique captare solent, ad regem Fridericum scripsit, & ipsi etiam sua officia, & operam detulit. Has litteras (si modo Cormani, & non fictæ sunt) interceptas (ita Bavari aiunt) Compilator, & alii Monachienses, publicis suis scriptis insertas, sparserunt, easque, tanquam enormis alicuius criminis testes, regi Friderico, qui nunquam illas vidit, bonus vir Fabius objectat. quod quo iure, & quam recte faciat, ex superiori narratione promptum est colligere.

Hic nobis in mentem venit, quod supra pag. 225. Fabius dixit. Vestrum non erat aut vicinitatem, aut amicitiam apud Turcam quærere, qui amicus esse Turcæ cupit, malus Christianus est. Hoc quam falsum sit, vel regis Poloniæ, optimi Catholici Romani, exemplo, & litteris probari potest. Nam ille in sua ad Sultanum Constantinopolitanum Epistola, Warsaviæ 15 Novembris Anno 1623. exarata. Tantum (inquit) illis, nempe Turcis Imperatoribus, ad victorias, & triumphos,

phos, & Othomannicum Imperium proferendum amicitia Polonorum profuit, quantum fortassis recens bellum, contra pacta, & fœdera a prædecessore Serenitatis vestræ illatum, obfuit. Et sub finem litterarum: amici amicis, inimici inimicis Set., vestræ erimus. Et paulo post: Serenissimus avus, & pater Serenitatis vestræ, cum bellum contra Romanorum Imperatorem Rodolphum gereret, qui cum nobis par necessitudo intercedebat, clare experti sunt, quam studiose rebus ipsorum faveremus. Arrige aures, intende oculos, Fabi. ubi talia in actis Pragensibus legisti? In litteris, ad supremum Vesirum eodem tempore Warsavia datis, idem rex inter alia scribit, Non modo nunquam contra Serenissimam Domum Othomanicam manum armatam extendimus, verum etiam pro ea cum rebellibus pugnavimus, quique sua rebellione, & perfidia graves esse videbantur, nostris armis succubuerunt. Nec mirum, si nos, Divique nostri majores sic constantes in colenda cum Serenissima domo Othomannica amicitia semper fuimus, cum pari sinceræ, atque integerrimæ voluntatis affectu nobis, Serenissimisque majoribus nostris, Regibus Poloniæ, Serenissimi Imperatores semper respondissent, tantique pacem, & amicitiam cum regno nostro fecissent, ut contra ipsius hostes, & præsertim Moschos, sæpius auxiliares copias misissent. Nam id magnus ille, & perpetua memoria dignus Imperator Solimannus magno itidem Poloniæ regi Sigismundo præstitit, dum ipsum contra Moschorum tyrannum auxiliis juvit, æternaque suæ ergaRegnum Poloniæ amicitiæ re & scriptis reliquit monumenta. Hactenus rex Poloniæ. Nos autem hinc sic inferimus: Aut Principi Christiano licet amicitiæ, & viciniratis jura cum Sultano Turcarum colere, licet ipsi amicorum eius amico, inimicorum inimico esse (quod omnium fœderum arctissimum est) auxilia ab ipso accipere, imo pro ipso contra rebelles eius pugnare: omnia, inquam, hæc Principi Christiano, salvChristianismo, licent. aut ex tua, Fabi, thesi sequitur,

Regem Poloniæ, quartam Sedis Romanæ Columnam, non malum tantum, sed etiam pessimum Christianum esse. Et ut nihil dissimulemus, est, Fabi, quod Iesuitis aulæ Polonicæ succenseas ob non communicatas cum Patribus Monachiensibus litteras regias, quarum lectio tibi veluti aurem vellere, & monere te poterat, ne modum excederes in objectanda adeo acerbe & aculeate nobis legatione ad Constantinopolitanam aulam, inter quam, & inter ea, quæ Rex Poloniæ narrat, & Sultano, ac Vesiro venditat, longe maior est differentia, quam inter eum, qui teneros caules alieni fregerit horti, & qui nocturnus Divum sacra legerit. Pudeat te, Jacobe, huius impudentis Sophisticæ, & disce tandem erubescere. Illud hoc loco subjiciendum restat, Regem, & Ordines Bohemiæ optimo jure potuisse legationem Constantinopolim mittere, & pacis, amicitiæque pacta cum Sultano inire. Bohemiæ enim reges, ut pote reges liberos, ante aliquot secula fœdera cum regibus Galliæ, pactaque eum regibus Poloniæ, & Hungariæ suo arbitratu (Cæsaribus Romanis inconsultis) iniisse, historiæ, & multa alia monumenta testantur.

Pag. 330 iterum objicit Palatino Electori, & Bohemis amicissima Turcis pectora. qua de re paulo ante satis dictum est. Ubi vero, & quando illi à Turcis defensi, Fabi? Non est autem quod mireris, Hungaros, Bohemos, Anglos Batavos, & alios, qui cum Hispanis. & Hispanorum fautoribus, & asseclis non sentiunt, minus fortasse Constantinopoli exosos esse, quam vos Ligistas, servos, & complices Iberorum. Neque enim rerum ita imperiti sunt Turcæ, quin prudentiam politicam hoc suadere, & requirere probe intelligant Cardinalis Cleseli, tum temporis Episcopi, & litteræ scriptæ fuerunt ad Marchionem Ansbacensem, & multis Unitorum visæ, ac lectæ : ita ut illius narrationis veritas sine manifesta calumnia in dubium revocari non possit. Paucissima delecta, & admorsa leviter ab Authore fuisse sub finem asseris

Nos

Nos de paucitate supra respondimus: mordacitatem nobis non arrogamus; sed ab ea studiose abstinemus, pro certo statuentes, honorificum nobis fore, si non tantum argumentis, & rationibus, verum etiam modestia, & moderatione vos superare studeamus. Tuam procacitatem & linguę petulantiam omnibus bonis ingratam, & exosam fore, tuamque prosopœiam, pedantismum (sit fas ita loqui) & pulverem scholasticum redolentem, omnibus viris politicis, ac judicio præditis ridiculam, & ineptam visum iri, non dubitamus Sed de his satis. Iam Epilogi loco paucis tecum, Jacobe Kellere, agendum censemus. Tibin, autem abs re tua, & ab inspectione collegii tui tantum otii est, aliena, & politica ut cures, & quæ nihil ad te attinent? Pugnat certe cum gravitate, quam supra Societati tuæ vindicasti, alterum pedem in collegio, alterum in Cancellaria habere. Pugnat cum decreto, in congregatione vestra generali Anno 1593 Romæ facto, quo Jesuitæ negotiis publicis sese immiscere, pœna etiam addita, vetantur. Nobis cum Iesuitis nullum bellum est, ut supra ostendimus. Compilator, à nobis ne verbulo quidem lacessitus, nos, & religionem nostram variis contumeliis affecit, variis nos probris publice laceravit, variorum criminum insimulavit: eius in locum tu, Iacobe, succedens illoto ore, & dentatissimo stylo illum supergressus es. Molliter hactenus vobiscum, & modeste egimus, maledicta tantum vestra repercussimus, tela retorsimus, scuto nos potius, quam gladio defendentes. Pepercimus studiose Principi vestro, quem olim pro magno Principe, & pro generosissimo habuimus: sed frustravit ille non nostram solum, verum multorum etiam aliorum expectationem. Nam nimis avide, ex motibus Bohemicis, quibus sese immiscere se non velle initio astute simulabat, occasionem arripiens, omnia humanitatis, & consanguinitatis jura pervertit propter eum, quem ante complures annos opinionis errore sibi finxerat, Electoratū. Et sane quis neget esse profundissimæ cuiusdam ambitionis, & sum-

& summæ animi impotentiæ, quod agnatum, optime & honorificentissime de ipso sentientem, non male etiam de ipso meritum, una cum conjuge, & parvis liberis ipse orbus, [illegible] ullam spem prolis, cui male quæsita relinquat, fovens, [illegible] verbo quidem læsus, inaudita fere inter ipsos Barbaros in[illegible] manitate & regnandi quadam rabie, fortunis omnibus q[illegible] tum in ipso fuit evertere non dubitaverit? Monemus [illegible] re, Iacobe, & tribules tuos, ut deinceps erga regem Fr[illegible] cum modestiores vos geratis, &, si scribere vultis, ne [illegible] vestro a causa ad personas descendatis. Nam si perrexeri[illegible] uti cœpistis, edico tibi, Iacobe Kellere, fore ut vos una cum Principe vestro pro merito vicissim tractemini, & ut inter a[illegible] lia nomen, atque Epitheton, quod ipsi in Italia à quibusdam tribuitur, etiam Germaniæ nostræ innotescat.

ERRATA.

IN præfatione ad lectorem [illegible] [illegible]

FINIS